DE FERIIS LATINIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

CHRISTIANUS WERNERUS

AQUISGRANENSIS.

COLONIAE TYPIS J. P. BACHEMII

MDCCCLXXXVIII.

[illegible]

VIRO PRAESTANTISSIMO ADMODUM REVERENDO

GERARDO BRUDERS

PRESBYTERO

APUD WISSENSES RHENANOS SACRORUM ANTISTITI

AVUNCULO DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

VENERABUNDO ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.



Summa constantia et pietate a Romanis omnia instituta a maioribus tradita, sive ad res publicas sive ad divinas pertinebant, servata esse inter omnes constat. Nec vero in ulla re haec Romanorum indoles tam dilucide apparet quam in feriis Latinis per saecula plurima celebratis. Etenim Latinae, iam antiquissimis temporibus quotannis ab omnibus civitatibus nominis Latini in templo Jovis Latiaris, quod erat in monte Albano, sollemniter actae, non modo, cum Latini atrocissimo bello in Romanorum dicionem venissent, haberi non sunt desitae, immo vero, cum eas neglegi aut plane aboleri nefas esse Romani existimarent, haud prorsus immutatae usque ad id tempus permanserunt, quo deorum cultus edictis imperatorum Christianorum sublatus est. Quae quoniam per tantum temporis spatium vigebant nec raro ad consilia publica pertinebant, accuratius totam feriarum Latinarum naturam et rationem cognoscere operae erit pretium.

Quod ad nomen attinet, inter ‚ferias Latinas' et ‚Latinas' discrimen esse viros doctos, qui hac de re disputaverunt, fugit. Sed omnes locos, qui huc pertinent, comparans feriarum Latinarum vocem multo rarius legi et ad hos dies festos in universum significandos adhibitam esse [1]), Latinarum vocem de sacris sol-

---

[1]) Varro de l. Lat. VI, 25, Cic. ad fam. VIII, 6, 3, Caes. b. c. III, 2, Liv. 32, 1, C. I. L. I p. 434 et XIV, 2228, Plin. h. n. 27, 7, 45, Tac. Ann. IV, 36 et VI, 11, Aur. Vict. 5, 2, schol. Bob. ad Cic. Planc. 9, 23.

lemnibus in monte Albano perpetratis [1]) intelligendam esse perspexi [2]). Neque igitur mirum est, quod in fastis [3]) ubique Latinarum nomen occurrit, is contra magistratus, quem Latinarum diebus consules Romae relinquebant, multis locis praefectus urbi feriarum Latinarum, nusquam Latinarum appellatur. Eadem ratione scriptores Graeci inter τὰς ἀνοχὰς [4]) et τὰς Λατίνας vel τὰς Λατίνας ἑορτάς [5]) distinguunt.

Iam, priusquam ad causam ipsam aggrediar, de fontibus pauca disserenda esse arbitror.

In his et scriptores et tituli sunt, qui, quamquam causam nostram saepe tantummodo perstringunt, tamen imaginem satis expressam feriarum Latinarum nobis reliquerunt.

Atque titulorum maximi momenti sunt ii, qui in ipsis Jovis Latiaris templi ruderibus [6]) reperti sunt, propterea quod plerique eorum fastos Latinarum, quamquam non integros, continent.

---

[1]) Liv. 5, 19; 8, 11; 25, 12; 40, 45; 41, 16; 44, 19 et 22; 45, 3; 32, 1 („sibi in monte Albano Latinis carnem datam non esse'); Cic. de div. I, 11; de rep. I, 9; ad Q. fr. 2, 4, 2; Luc. Phars. I, 550 et V, 400; Suet. Claud. 4; Flor. II, 6, 8; Gell. XIV, 8; Macr. I, 16; Serv. ad Verg. Aen. I, 211.

[2]) accuratissime Plinius h. n. 27, 7, 45 distinguit, cum Latinarum feriis quadrigas in Capitolio certare dicit.

[3]) cf. ann. 6.

[4]) Dionys. IV, 49 et VI, 95; Nic. Dam. c. 5.

[5]) Dio 46, 3; 47, 40; 55, 2; praefectus urbi ubique ab eo πολίαρχος ὁ ἐν ταῖς ἀνοχαῖς aut ὁ διὰ τὰς ἀνοχὰς nominatur.

[6]) De omnibus rebus ibi effossis conferre velis quae Mommsenus in Hermae vol. V pag. 379 sqq. ,Rossius in annal. dell' instituto arch. vol. XLV p. 162—221, in ephem. epigr. vol. II p. 93 sqq., in annal. d. inst. vol. XLVIII p. 314 sqq., Mommsenus iterum in quaestionum Romanarum vol. II p. 97 sqq. scripserunt. Tituli quidem ipsi in sexto volumine corporis inscriptionum Latinarum (tit. 2011 sqq. et 3879 sq. [pag. 864]) et nuperrime iterum in decimo quarto eiusdem corporis volumine (tit. 2227 sqq. et 4210 a, b, c) publici iuris facti sunt.

Antiquissimum autem fastorum fragmentum (C. I. L. VI, 1, 2011 = XIV, 2236), cum tres eius primi versus hominum doctorum consensu fastis praepositi fuerint [1]), Latinas decemvirorum aetate habitas primas esse insculptas docet. Unde Mommsenus vir doctissimus decemviros, quippe qui omnia legibus sanxissent, edixisse collegit, ut Latinarum celebrationes litteris mandarentur: cui edicto, lorginqua quadam oblivione obruto, multa demum post saecula sacerdotes montis Albani paruisse neque quidquam auctoritatis fastis antiquissimis tribuendum esse contendit [2]). Illud et ego a decemviris edictum esse crediderim, sed certis commoveor causis, statim ut edicto eorum esse obtemperatum et tabulas vel commentarios quosdam ex illis temporibus a sacerdotibus templi Jovis confectos iis, qui postea fastos, qui nunc extant, in Jovis Latiaris aede insculpserunt, usui fuisse suspicer [3]).

Neque enim fasti anni 305 u. c., nisi res ita se haberet, trinas tum actas esse ferias earumque primas paullo postquam Horatius et Valerius consulatum inierunt fuisse accuratissime traderent; nec mirum est anno 304, si decemvirorum huius anni insolentiam nequitiamque respicimus, ferias fuisse nullas. Praeterea, quod etiam in aliis fastorum fragmentis invenimus [4]), titulus, de quo agitur, consules anni 305 u. c. alio atque omnes fere fontes [5]) ordine enumerat et solis in

---

[1]) Rossii (eph. ep. II p. 95 sq.) et Mommseni (qu. R. II p. 100).

[2]) quaest. Rom. II p. 102 sq.

[3]) Rossius annal. d. inst. vol. XLV p. 166 fastos ex annalibus maximis haustos esse conicit; neque tamen in iis quicquam certi inesse potuit, cum prisci annales incendio anni 364 u. c. deleti essent (cf. Teuffel hist. litt. Rom. p. 120).

[4]) cf. pag. 26 sq.

[5]) Liv. III, 55, Dionys. Hal. XI, 45, Cic. de rep. II, 31, Zonar. VII, 19; solus Diodorus XII, 26 eundem ordinem servat.

his fastis tribuni militum consulari potestate appellantur tribuni militares pro consulibus [1]).

Quo primum tempore hi fasti lapidibus sint incisi Rossius vir doctissimus diiudicare non est ausus [2]); Mommsenus autem omnes qui extant fastos ineunte imperatorum demum aetate exaratos esse suo iure statuisse videtur [3]); titulum autem C. I. L. XIV, 2240 eo, cuius memoriam refert, tempore in saxo incisum esse [4]) pro certo haberi non potest; nam si fasti semper ambos consules, qui Latinarum tempore hunc magistratum gerebant, tradiderunt, alterius consulis absentiam adnotari opus erat; neque mirum est quod anno 731 u. c. in monte fuisse imperatorem Caesarem memoratur, cum superioribus versibus eiusdem absentiae triplex facta sit mentio. Sed fastos anni 41 p. Chr. n. hoc ipso anno incisos esse certo scimus, quod nomen Q. Pomponii Secundi consulis, quamquam iam anno sequenti seditionem movit et interfectus est, iis insertum erat.

Neque vero eandem scribendi rationem sculptores secutos esse ex ipsa fragmentorum specie et scriptura cognoscitur. Et accuratius quidem perscrutanti varia titulorum genera esse apparebit haecce:

XIV, 2236
2237—39 [5])
2240
2241
2242—44 [5])

maximumque esse discrimen inter primum et novissimos. Quarum dissimilitudinum specimina haec liceat apponere:

---

[1]) haec ‚pro consulibus' verba, ne saeculo urbis septimo hos fastos fictos esse credamus, etiam obstant, quod tum proconsulis nomen magistratum a tribunatu militari plane alienum significasse constat.

[2]) eph. ep. II p. 101. — [3]) quaest. Rom. II p. 102. — [4]) quod Rossius l. l. coniecit. — [5]) plane inter se consentiunt.

2236	2237—39	2240	2241	2242—44.
EID [1])	EID	EID	—	IDVS
L·F	L·F	—	LAT·F	LAT·FVER
—	(cos) IT	II	—	II
binis versibus consulum nomina afferuntur.	binis [2])	singulis	singulis	binis
in ipsa linea consulum nomina scripta sunt.	in binorum versuum intervallo [2])	in ipsa linea.	in ipsa linea	in binorum versuum intervallo.
densiore scriptura Latinae inducuntur.	magis extenuata	densiore	d.	m. ext.


Accedit, ut patris et avi praenomina 2236 addita, 2240—44 omissa sint, in titulis porro 2236, 2238, 2240 contra atque in tit. 2241—44 ultimae aliquot cognominum [3]) litterae non perscriptae sint, traditis 2238 Marcell et Gracc, 2240 Flac; a ceteris denique titulus 2240 eo dissimilis est, quod nomen in eo Cn. Pisonis, fortasse etiam M. Agrippae, omissum est.

Inter rerum scriptores eorum, qui de antiquitatibus et de diis scripserunt, Varronis, Nigidii, Hygini libros interisse dolendum est; e ceteris plurima de feriis Latinis memoriae prodiderunt Livius et Cassius Dio, quorum alter consulendus est, si de liberae rei publicae temporibus, alter, si de Augusti aetate agitur; nec multo minus in his rebus Dionysius Halicarnassensis, Cicero, Suetonius adiuvant neque contemnendi videntur posteriorum temporum scriptores, in his etiam ecclesiastici.

---

[1]) Eidus forma antiquior est.
[2]) praeter tit. nimirum 2237.
[3]) vel in primo titulo cognomina occurrunt.





Pars prima.

Quas quoque tempore Latini et Romani in feriis Latinis partes egerint ostenditur.

§ 1.

De antiquissimis feriarum Latinarum temporibus.

Siquis reputat multa per saecula Romanos sacris in monte Albano praefuisse, facile Dionysium Halicarnassensem aliosque in eum errorem induci potuisse intelliget, ut ab ipsis Romanis ferias institutas esse putarent. In Dionysii quidem arch. Rom. IV, 49 haec scripta invenimus: ,*Τυχὼν δὲ τῆς Λατίνων ἡγεμονίας ὁ Ταρκύνιος*[1]) *ἐπρεσβεύσατο πρὸς τὰς Ἑρνίκων πόλεις .... ἀγαπητῶς δὲ πάντων τὸ πρᾶγμα δεξαμένων, τόπον μὲν ἀπέδειξεν ἔνθα ποιήσονται τὴν σύνοδον ἐν μέσῳ μάλιστα τῶν ἐθνῶν κείμενον ὄρος ὑψηλὸν, ὃ τῆς Ἀλβανῶν ὑπέρκειται πόλεως, ἐν ᾧ πανηγύρεις τε ἀνὰ πᾶν ἔτος ἄγεσθαι καὶ ἐκεχειρίας εἶναι πᾶσι πρὸς πάντας ἐνομοθέτησε θυσίας τε συντελεῖσθαι κοινὰς τῷ καλουμένῳ Λατιαρίῳ Διῒ καὶ συνεστιάσεις ....*', atque ibidem VI, 95: ,*τὴν μὲν πρώτην* [sc. *ἡμέραν τῶν Λατίνων ἑορτῶν*] *ἀνιερώσαντος βασιλέως Ταρκυνίου, καθ' ὃν χρόνον ἐνίκησε Τυῤῥηνούς*'[2]) .... Quam Dionysii sententiam

[1]) Tarquinius Superbus.

[2]) Quod Dionysius altero loco a Tarqunio Superbo, altero a Tarquinio Prisco (nam hunc tantum cum Etruscis bellum gessisse narrat) ferias institutas esse dicit, non est mirum, cum alii quoque scriptores hos Tarquinios confuderint, qua de re conferas, si velis, Orellii annot. ad Schol. Bobiens. II p. 255.

sequitur S. Aurelius Victor in libro, qui est de viris illustribus, qui cap. 8, 2 haec tradit: ,et ferias Latinas primus instituit [sc. Tarquinius Superbus]'.

Sedtamen vel antiquissimis temporibus, aliquanto ante Romam conditam, a cuncta gente Latinorum, ubi primum quandam inter se societatem inierunt, Latinae celebratae sunt; quas ad agendas in Albanum montem, arcem quasi Latii, ex quo tota regio conspiciebatur, quotannis illi conveniebant, ubi Jovem Latiarem, deum patrium, venerarentur, omnia, quae ad universam gentem pertinebant, communi consilio moderarentur, concordia gauderent. Antiquissimos esse hos dies sollemnes et a priscis Latinis institutos non solum ex ipsis nominibus feriarum Latinarum Jovisque Latiaris et ex loco, quo habebantur, colligi potest, sed etiam ex oscillandi ritu [1]) donisque, quae Jovi offerebantur, quippe quae maximam prodant antiquitatem. Atque feriarum Latinarum originem inde ab antiquissimis temporibus repetendam esse testatur Servius ad Verg. Aen. XII v. 135 verbis: ,Jupiter Latiaris antiquissimus est'; multosque ex illis populis, qui Plinio auctore (hist. nat. III, 9, 68) inter feriarum Latinarum participes fuerant, vel ante Tarquinium regem interisse constat. Quare scholiastae Bobiensis ad Cic. Planc. 9, 23 (Orell. vol. II p. 255) verba: ,Alii ab L. Tarquinio rege Romanorum existimabant (sc. Latinas ferias esse institutas)' neglegenda sunt, cum non sit dubium, quin ad Dionysium revocanda sint, quae sequuntur verba: ,alii vero a Latinis priscis . . . quidam id (sc. sacrificium) initum ex imperato Fauni contendunt' sententiam nostram confirmant.

Atque quamdiu Alba Longa caput omnium gentium Latinarum erat, dubium non est, quin feriae ab Albanorum, in quorum praesertim finibus haberentur, summis magistratibus, primo a rege, postea a dictatore

[1]) quo de ritu pag. 28 loquemur.

Albano, edictae gubernataeque sint. Jam vero cum deleta esset Alba, sive Mommsenum [1]) secuti a Romanis eam dirutam sive Niebuhrium [2]) et Schweglerum [3]) gentium Latinarum, quae Albae dominationem aegre ferrent, seditione oppressam atque extinctam esse existimare volumus, Latinae in monte Albano non magis esse desierunt quam Vestae aliorumque deorum cultus, qui integris Albanorum opibus apud eos floruerant; etiam templis tum esse temperatum rerum scriptores consentiunt [4]).

§ 2.

Quae civitates feriarum Latinarum participes fuerint.

Omnibus quovis tempore civitatibus Latinis, sive magnis et potentibus sive parvis et inopibus, dummodo propriis magistratibus uterentur, ad Latinas aditum patuisse pro certo haberi potest.

Neque Romani, quamquam non extat memoria, est cur dubitemus, quin iam diu ante Albam dirutam his sacris interfuerint. Artissime enim Romanas res cum Albanis cohaesisse e Strabonis l. V p. 231 verbis cognoscitur: ,*Ἀλβανοὶ κατ' ἀρχὰς μὲν ὡμονόουν τοῖς Ῥωμαίοις, ὁμόγλωττοί τε ὄντες καὶ Λατῖνοι, βασιλευόμενοι δ' ἑκάτεροι χωρὶς ἐτύγχανον· οὐδὲν δ' ἧττον ἐπιγαμίαι τε ἦσαν πρὸς ἀλλήλους καὶ ἱερὰ κοινὰ τὰ ἐν Ἄλβᾳ καὶ ἄλλα δίκαια πολιτικά*' et e Ciceronis orationis pro Milone habitae 31, 85: ,Albanorum obrutae arae, sacrorum populi Romani sociae et aequales' [5]). Atque etiam collem Latiarem Romae ur-

---

[1]) hist. Roman. I p. 98. — [2]) acroas. I p. 131. — [3]) hist. Rom. [2]I p. 589.

[4]) Liv. I, 29; Dionys. III, 27 et 29; Strabo V, p. 231 (*ἡ Ἄλβα κατεσκάφη πλὴν τοῦ ἱεροῦ*); cf. Schwegleri hist. Rom. vol. I p. 587 ann. 3 et 4.

[5]) Zonaras quod VII c. 4 Romulum et Titum Tatium in monte Albano sacrum fecisse narrat, non recte lēgit Plutarchi vitae Romuli verba capitis 23, ubi scriptum videmus: ,*ἐν Λαβινίῳ θύοντα*'.

bis, quem Varro de lingua Lat. V, 52 memorat, ad rem nostram spectare comprobavit Jordanus topogr. Rom. II, 264.

Ceterarum urbium quae ad Latinas celebrandas convenerunt, nomina permulta sunt tradita.

Et Plinius quidem hist. nat. III, 9, 68 quinquaginta tria oppida, quae olim Latinis interfuissent, affert his verbis: ‚In prima regione praeterea fuere in Latio clara oppida Satricum, Pometia, Scaptia, Politorium, Tellena, Tifata, Caenina, Ficana, Crustumerium, Ameriola, Medullum, Corniculum, Saturnia ubi nunc Roma est, Antipolis quod nunc Janiculum in parte Romae, Antemnae, Camerium, Collatia, Amitinum, Norbe, Sulmo, et cum iis carnem in monte Albano soliti accipere populi Albenses, Albani, Aesolani, Accienses, Abolani, Bubetani, Bolani, Cusuetani, Coriolani, Fidenates, Foreti, Hortenses, Latinienses, Longulani, Manates, Macrales, Munienses, Numinienses, Olliculani, Octulani, Pedani, Polluscini, Querquetulani, Sicani, Sisolenses, Tolerienses, Tutienses, Vimitellari, Velienses, Venetulani, Vitellenses. Ita ex antiquo Latio LIII [1]) populi interiere sine vestigiis'. Niebuhrii suspicio populos, quos Plinius in posteriore serie enumerat, triginta Albae colonias esse opinantis [2]) a Schweglero [3]) satis refutata est; ceterum huic ipsi seriei, utpote quae litterarum ordine sit confecta, duo illa nomina deesse veri est similius. In quo Plinii loco duae res maxime sunt tenendae, nihil esse, cur omnes quos commemorat populos uno et eodem tempore carnem accepisse putemus, neque cunctos voluisse Plinium enumerando per-

---

[1]) in libris manu scriptis unum et quinquaginta nomina extant, viginti in priore, unum et triginta in posteriore nominum serie, duo igitur nomina exciderunt; variam loco medicinam interpretes et editores parare conati sunt.

[2]) Nieb. hist. Rom. [3]I p. 114; eum secuti sunt et alii et Belochius nuper in libri, qui inscribitur societas Italorum, pag. 178 annot. 1.

[3]) hist. Rom. I p. 349.

sequi, qui quando Latinas celebratum convenerant, sed id solum spectasse, ut oppidis Latii, quae ipsius aetate incolebantur, adnecteret, quae deserta aut prorsus extincta essent. Cum autem in priore illa serie oppidorum nomina promiscue sint congesta, in posteriore nomina populorum litterarum ordine disposita sint, Mommsenus haud iniuria adnotavit priorem seriem ex annalibus [1]), posteriorem ex tabulis, quibus qui quando feriis Latinis interfuissent populi continerentur [2]), fluxisse. Ac profecto eiusmodi tabulis in magna sociorum frequentia opus fuisse, quid certius esse potest, praesertim cum aliquo in dispertienda tauri carne populo neglecto Latinas instaurari necesse esset [3])? Quibus nimirum in tabulis, si qua urbs aut diruta esset aut propter incolarum paucitatem aut aliam ob causam legatos iam mitteret nullos, eam denotari consentaneum erat [4]). Quonam alio modo Plinius tot oppida, quae magna ex parte iam pridem interierant, carnem olim accepisse comperire potuit? Sed cum in tabulis omnes fere quos hoc loco enumeravit populos repperisset, eos, quos priore iam serie annales secutus memoraverat, in posteriore serie omittere se posse censebat; neque ita multum discriminis inter series illas statuere voluisse Plinium eo quoque efficitur, quod et clara oppida et populos infra breviter appellat populos [5]).

Atque etiam Dionysii locum V, 61 [6]) ad earundem tabularum auctoritatem referendum esse Mommsenus in

---

[1]) Momms. in Hermae vol. XVII p. 55 sq. — [2]) l. l. p. 49. — [3]) cf. Liv. 37, 3.

[4]) quas videlicet tabulas etiam atque etiam recognitas esse re ipsa apparet.

[5]) qua re quae Mommsenus l. l. pag. 53 de serierum discrimine coniecit refutari videntur.

[6]) ,ἀπὸ τούτων τῶν πόλεων ἦσαν ἄνδρες, Ἀρδεατῶν, Ἀρικηνῶν, Βοϊλλανῶν, Βουβεντανῶν, Κόρνων, Καρυεντανῶν, Κιρκαιητῶν, Κοριολανῶν, Κορβιντῶν, Καβανῶν, Φορτινείων. Γαβίων, Λαυρεντίνων, Λανουίνων, Λαβινιατῶν, Λαβικανῶν, Νωμεντανῶν, Νωρβανῶν,

Hermae vol. 17 pag. 49 ann. 1. suspicatus est. Quam ad coniecturam firmandam quod has in tabulas sex tantum colonias Latinas, Ardeam, Circeios, Norbam, Satricum, Setiam, Velitras, utpote quae essent antiquissimae, relatas fuisse contendit: eae cur solae sint inscriptae causa non est neque, si res ita se haberet, Cora et Signia coloniae, cum nonnullarum etiam earum superarent aetatem, Dionysio praetermittendae fuissent; Albam vero Fucentiam, quam in urbem anno demum 451 u. c. Romā colonia deducta est [1]), quoniam Plinii illo loco laudatur, aliquando in tabulis fuisse censendum est; atque, si Mommsenus recte iudicasset, Scaptiam, Satricum, Tellenam urbes quod Dionysius sua aetate et existere et feriis interesse, sua autem Plinius neque existere neque illarum participes esse testaretur, permirum esset, praesertim cum viginti fere post illius mortem annis hunc natum esse sciamus. Sedtamen carnem accepisse in monte Albano triginta illa oppida, quae Dionysius hoc loco enumerat, ipse quoque persuasum habeo, non quo Mommseno assentiar, sed quia ea auctoritate haec fuerunt, ut vel nominatim sint appellata [2]) in Casii foedère [3]), atque singula eorum

---

Πραινεστίνων, Πεδανῶν, Κορκοτουλανῶν, Σατρικανῶν, Σκαπτηνίων, Σητίνων, Τιβουρτίνων, Τυσκλανῶν, Τελληνίων, Τοληρίνων, Οὐελιτρανῶν.

[1]) cf. Liv. X, 1.

[2]) triginta oppida illis temporibus de communi Latinorum salute consulere solebant, cf. Dionys. VI, 63; 74; 75; Liv. II, 18.

[3]) recte enim Schweglerus hist. Roman. II p. 322 iudicasse videtur Dionysii indicem non esse fictum ab ipso aut ab alio quodam rerum antiquarum non imperito, sed ex tabulis, in quibus Cassii foedus anno 261 u. c. cum Latinis ictum descriptum erat, haustum esse. Quo in indice Mommsenum dial. Ital. infer. p. 54 id offendit, quod in verbo *Γαβίων* G littera, quae Cassii aetate nondum innotuerat, inter F et L litteras occurrit. Sed opinor eum, qui oppidorum nomina ex columna, in qua foedus illud insculptum erat (cf. Cic. pro Balbo 23, 53), descripsit, postquam ad CABII pervenit, id nomen, tunc quidem intermissum, postea, cum litteram F absolvisset, recentis memor scribendi usūs in hunc indicis locum intulisse.

feriarum in societate fuisse certa apud alios scriptores testimonia perhibentur [1]).

Adiungendus est porro locus Dionysii IV, 49 hic: ‚*Τυχὼν δὲ τῆς Λατίνων ἡγεμονίας ὁ Ταρκύνιος ἐπρεσβεύσατο καὶ πρὸς τὰς Ἑρνίκων πόλεις καὶ πρὸς τὰς Οὐολούσκων προκαλούμενος κἀκείνους εἰς φιλίαν τε καὶ συμμαχίαν. . . . Ἕρνικες μὲν οὖν ἅπαντες ἐψηφίσαντο ποιεῖσθαι τὴν συμμαχίαν· ἐκ δὲ τοῦ Οὐολούσκων ἔθνους δύο πόλεις ἐδέξαντο μόναι τὰς προκλήσεις, Ἐχετρανοί τε καὶ Ἀντιᾶται . . . . αἱ δὲ μετασχοῦσαι τῆς ἑορτῆς τε καὶ θυσίας πόλεις τριῶν δέουσαι πεντήκοντα ἐγένοντο*'. Quem cunctarum civitatum Latinarum et Hernicarum duarumque Volscorum urbium summam facientem non plus quadraginta septem in errore versari primo obtutu cuivis magnam oppidorum multitudinem respicienti apparet et ne cum Hernicis quidem, nedum cum Volscis, Tarquinio Superbo regnante amicitiam fuisse Latinis inter omnes constat. Atque ex triginta oppidis Latinis, quae communes res gubernabant, quindecim Hernicis, duobus Volscis eum numerum computasse Dionysium suspicari maluerim quam Mommsenum (Herm. 17 pag. 50 ann. 1) secutus quadraginta septem fuisse antiqui Latii civitates hoc ex loco evincere.

Quodcum perspicuum sit civitatum quae Latinis intererant numerum iam antiquissimis temporibus non ita parvum fuisse, tum regibus Roma exactis magnopere auctus est; etenim postquam in fines Hernicorum, Volscorum, omnium denique finitimarum gentium coloniae deductae sunt, quae propriis magistratibus utebantur et eodem fere iure atque Latii antiqui oppida, gentesque illae ipsae, cum sub Romanorum potestatem redactae essent, Latio adiectae sunt, omnes hae magistratuum ad Latinas publice mittendorum nanctae sunt potesta-

---

[1]) de Laurento et Lanuvio apud Liv. 37, 3 et 41, 16, de Ardea apud Liv. 32, 1 et in titulo C. I. L. VI, 1, 2020 = XIV, 2231, de Gabiis, Bovillis, Labico apud Cic. pro Planc. 9, 23, de novem aliis apud Plinium III, 9, 68.

tem. Nam ut Albam Fucentiam coloniam quamvis remotam earum participem fuisse [1]) omittam, Strabo V p. 229, quamquam Latium antiquum et novum accurate discernit, dicit: ‚*ἐνταῦθα* [sc. *ἐν τῷ Ἀλβανῷ ὄρει*] *Ῥωμαῖοι σὺν τοῖς Λατίνοις Διὶ θύουσιν*', nullo Latinorum discrimine facto, et Dionysii verba VIII, 87: ‚*πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν*' nisi de omnibus Latinis intelligi nequeunt.

§ 3.

De Roma feriarum Latinarum praeside.

Romàni num paullo post Albam dirutam feriis Latinis praesederint, decerni non potest, cum hac de re nihil certi traditum sit. Illud tamen contendere non dubito Romanos Servio Tullio rege, cum omnibus Latii antiqui civitatibus longe antecellerent opibus, his sollemnibus praefuisse. An quo tempore Livio auctore (I, 40) Latinos perpulerunt, ut secum in Aventino templum Dianae aedificarent, cum ipsi his sacris praesiderent, cuiquam alii summum in feriis Latinis arbitrium moderandis eos permisisse putabimus? Immo hic Romanorum principatus a Tarquinio Superbo ita nullo resistente obtinebatur, ut is ferias vel instituisse a posteris crederetur. Exactis autem regibus, quamquam propter Latinorum contra Romanos seditionem eas intermissas esse probabile videtur, foedere Cassii Latinas edicendi moderandique facultatem iis redditam esse statuendum est [2]). Postea vero Latinis propter ma-

---

[1]) **Plin. h. n. III, 9, 68; cf. III, 17, 106 et Strab. V, 240; postea cur feriis interesse Alba desierit, compertum non habemus, sedtamen, quod in ea Marsi maiores opes adepti essent, magistratus, qui carnem acciperent, non amplius missos esse iure suspicari mihi videor. Quod cum fugisset Plinium, eam dixit interisse.**

[2]) **quod autem Dionysius VI, 95 senatum tum Romanum suo arbitrio tertium diem addidisse tradit, quod is ferias Latinas cum ludis plebeis confundit (cf. pag. 23), nihil ei fidei est habendum.**


gnitudinem periculi, quod a Volscis Aequisque imminebat, auxilium Romanorum petentibus summamque imperii domi militiaeque iis committentibus confirmata sunt magis magisque Romanorum in his sacris agendis pondus atque auctoritas; velut anno 305 u. c. Romani suas ipsorum res domesticas sedatas esse gaudentes ferias Latinas redintegraverunt [1]) eorumque tribuni militum — qui summi tum Romae magistratus erant, — anno 357 u. c. eas edixerunt [2]). Neque Roma a Gallis incensa et Latinis Hernicisque bellum renovantibus permultos annos pristina in feriis auctoritate caruisse videntur, cum anno 396 u. c. foedus inter pugnantes ictum sit.

Ab anno vero 416 u. c. devictis Latinis, quin nullis repugnantibus Romanorum summus quoque anno magistratus Latinas edixerit et pro omnibus civitatibus Latinis sacrum sollemne fecerit, nemo est qui dubitet.

[1]) C. I. L. VI, 1, 2011 = XIV, 2236; cf. pag. 40.

[2]) Liv. V, 17.





Pars secunda.

Qua ratione feriae Latinae habitae sint.

§ 1.

Anniversarias fuisse ferias Latinas ostenditur.

Quibus temporibus ferias administrabant Romani, quorum nimirum interfuisse existimandum est Latinorum animos quavis occasione sibi conciliare atque etiam religione quadam devincire, iis quidem temporibus anniversarias fuisse Latinas vel eo apparet quod in conceptivis feriis eas numerant et Macrobius [1]) et Varro [2]) atque, quod summum est, omnes fastorum reliquiae continuam annorum seriem ostendunt. Testes sunt porro Dionysius IV, 49: ‚*ἵνα συνερχόμενοι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν πανηγυρίζωσι* . . .', Livius VIII, 11: ‚renovaturque foedus (sc. Romanorum cum Laurentibus) quotannis post diem decimum Latinarum', Pomponius in dig. lib. I § 2, 2, 33 ‚quotannis observatur (sc. praefectus urbi feriarum Latinarum)', scholiasta Bobiensis ad Cic. pro Planc. 9, 23 (Orell. II p. 255): ‚quod vero mentionem petendae carnis fecit, pertinet ad consuetudinem sacri anniversarii'.

---

[1]) Saturn. I, 16: ‚conceptivae (sc. feriae) sunt quae quotannis a magistratibus vel sacerdotibus concipiuntur in dies vel certos vel etiam incertos, ut sunt Latinae . . .'

[2]) de lingua Lat. VI, 25: ‚Latinae feriae dies conceptivus dictus a Latinis populis, quibus ex Albano monte ex sacris carnem petere fuit ius cum Romanis, a quibus Latinis Latinae dictae.'

Summa vero religione cum Romani tenerentur, ne ullo anno ferias omitterent, anno 497 u. c., cum periculum esset, ne Latinae illo anno essent nullae, dictator feriarum Latinarum causa dictus est [1]). Flaminium consulem anni 537 u. c., quod ferias omisisset, adversariorum clamore convicioque paene dilaceratum esse Livius tradit [2]); Hirtio et Pansae consulibus [3]) anni 711 u. c. *τὴν ἔξοδον πρὸ τῶν Λατίνων ἀνοχῶν ποιήσασθαι* a Cassio Dione 46; 3 opprobrio datur; fasti denique ipsi cum altero decemvirorum anno turbulentissimo Latinas non fuisse indicant [4]) rem paene inauditam memoriae tradere videntur.

§ 2.

De feriarum Latinarum conceptione.

Latinas, quippe quibus non certus anni dies constitutus esset, necesse fuisse concipi re ipsa elucet. Atque rite ut conciperentur, populus Romanus tanta cura et religione observabat, ut Livio auctore (V, 17) tribunos militum anni 357 u. c., quod non rite edixissent, munere se abdicare cogeret deique placandi causa per novos tribunos militum eas instauraret (Liv. V, 19). Summum autem Romanorum magistratum primo cuiusque anni die, quo in senatu de religionibus referebat, Latinas edicere oportebat. Lucius quidem Aemilius

[1]) C. I. L. I p. 434; de Caesare dictatore cf. ib. p. 440.

[2]) 21, 63 et 22, 1; quamquam falso hoc exprobrari consuli ostendit Seeckius in Herm. vol. VIII p. 162 sqq., atque titulus C. I. L. VI, 1, 2012 = XIV, 2238 Latinas eo anno Aprili vel Maio, id est a Flaminio, habitas esse testatur, verum id crimen e nostra causa profecto est, quoniam illas omittere summum nefas fuisse satis ostenditur.

[3]) utrum quod hi vitiarunt a suffectis illius anni consulibus reparatum sit necne, diiudicare non possumus.

[4]) C. I. L. VI, 1, 2011 = XIV, 2236.

Paullus consul in primo senatu, ne quid profectionem suam teneret: ‚pridie idus Apriles', ait, ‚Latinis esse constitutam diem' [1]). Item Caelium, cum iam mense Februario anni 704 u. c. cum Cicerone per litteras haec communicat: [2]) ‚consules [3]) habemus summa diligentia; adhuc senatus consultum nisi de feriis Latinis nullum facere potuerunt', de primo eius anni senatus conventu verba facere veri est simile.

Quamquam plerumque inter consules de Latinarum die convenisse consentaneum est, tamen, si alteruter Romae solus adesset, ei edicere licuisse [4]) exempla apud Livium inveniuntur, apud quem 41, 16 Q. Petilium consulem Cn. Cornelio collega mortuo, antequam novus collega ipsi subrogaretur, Latinas edixisse et 45, 3 solum C. Licinium Crassum consulem — nam alter consul L. Aemilius Paullus cum exercitu in Macedonia erat — eas concepisse scriptum videmus. Edictum autem esse, cum per tres dies Latinae haberentur [5]), ultimum solum diem, quo sacra sollemnia fiebant, compluribus scriptorum locis comprobatur, velut Macrobii Saturn. l. I. c. 16, 16: ‚cum Latiar, hoc est Latinarum sollemne, concipitur' et Livii l. 44 c. 19: ‚pridie idus Apriles Latinis esse constitutam diem'; similiter Varro de l. Lat. VI, 25 de uno die conceptivo loquitur. Atque inter Latinarum conceptionem et hunc diem sollemnem mediocre interpositum erat intervallum, quod, singulos annos si quoad fieri potest perlustramus, modo maius modo minus fuisse intelligimus [6]). Quod autem esset minimum temporis spatium, religione

---

[1]) Liv. 44, 19; cf. pag. 22 ann. 2.

[2]) Cic. ad. fam. VIII, 6, 3.

[3]) munus inierant Kalendis Januariis.

[4]) cf. in universum Momms. iur. publ. Rom. vol. [2] I. pag. 30.

[5]) cf. pag. 22 sq.

[6]) velut anno 578 u. c. quinquaginta (Liv. 41, 16), anno 583 vel septuaginta quinque (Liv. 42, 35), anno 305 viginti octo (C. I. L. VI, 1, 2011 = XIV, 2236), anno 710 viginti quinque dies (C. I. L. I p. 461) interpositi fuisse videntur.

definitum fuisse ex Livii verbis apparet 44, 17: ‚Latinas, ubi magistratum (sc. consules) inissent [1], quod per religiones posset, primo quoque tempore fieri placere, ne quid consulem, cui eundum in Macedoniam esset, teneret'. Et quoniam consules, qui his senatus precibus quantum poterant obsecuti esse existimandi sunt, pridie Kalendas Apriles [2]) Latinas habuisse idem narrat, en septendecim dies vel duae nundinae brevissimum intervallum quod inter Latinas edictas et habitas interesse et lege et religione licebat. Jam vero celeritate perquam insolita earum conceptionem secuta est celebratio anno 705 u. c., quo Caesar Massilia expugnata Romam dictatorem se reversum et veniae dandae et feriis Latinis [3]) comitiisque omnibus perficiendis undecim dies tribuisse dicit [4]).

§ 3.
De festorum dierum numero.

Ad dierum festorum numerum exquirendum ansas dant sola Livii verba 45, 3: ‚iterum Latinae edictae a consule sunt in ante diem quartum et tertium et pridie idus Novembres' [5]), quibus tres dies illo quidem tem-

[1]) Idibus Martiis.

[2]) lectiones libri 44 cap. 19: ‚pridie idus Apriles esse constitutam diem' et eiusdem libri cap. 22: ‚Latinae pridie Kalendas Apriles fuerunt' nequaquam inter se convenire luce clarius est; atque verum nexum accurate perscrutanti prioris loci illud: ‚idus' falsum esse apparet, propterea quod, cum primo quoque tempore, quod per religiones posset, Latinas fieri senatui placuisset, si pridie idus Apriles habitae essent, a consulibus non prorsus festinatum esset (cf. pag. 21, ann. 6).

[3]) in urbe eas concipi necesse fuisse consentaneum est.

[4]) bell. civ. III, 2.

[5]) sagacissime hoc de loco disputavit Mommsenus in quaest. Rom. v. II. p. 106 sq.; sed quia libri exhibent ‚et pr. id. nob.', non est cur propter Plut. Cam. 42 Mommsenum secuti legamus ‚et pridie et idus Novembres'.

pore, de quo Livius agit, Latinis destinatos fuisse intelligimus. Quem numerum, si qua religione et anxietate Romani quicquam in rebus divinis mutare veriti sint et ceteras in feriis potissimum Latinis celebrandis ceremonias servaverint reputamus, per plurimum temporis spatium usitatum atque etiam lege sancitum fuisse non possumus non arbitrari. Quamquam antiquissimis temporibus tres Latinarum dies fuisse non crediderim, cum ludi quoque Romani et plebei initio pauciorum dierum fuerint quam postea.

Livii ille locus non iuvatur Dionysii narratione VI, 95: ,*ἐψηφίσαντο δὲ καὶ θυσίας ἀποδοῦναι τοῖς θεοῖς ἡ βουλὴ χαριστηρίους ἐπὶ ταῖς πρὸς τὸν δῆμον διαλλαγαῖς, προσθεῖσα μίαν ἡμέραν ταῖς καλουμέναις Λατίναις ἑορταῖς δυσὶν οὔσαις, τὴν μὲν πρώτην ἀνιερώσαντος βασιλέως Ταρκυνίου καθ' ὃν χρόνον ἐνίκησε Τυῤῥηνούς· τὴν δ' ἑτέραν τοῦ δήμου προσθέντος, ὅτε τοὺς βασιλεῖς ἐκβαλὼν ἐλευθέραν ἐποίησε τὴν πόλιν· αἷς ἡ τρίτη τότε προσενεμήθη τῆς καθόδου τῶν ἀποστάντων ἕνεκα*' [1]). Quam narrationem omni ex parte falsam esse constat; nam et feriae prius quam Dionysius tradit institutae sunt nec Romanis, qui bello gravi vixdum confecto cum Latinis foedus aequum inierant, tanta tum erat auctoritas, ut invitis ceteris populis suo arbitrio novi quid de feriis decernerent, atque quod aediles Romanos feriis praefuisse addit, totam rem eum cum ludis plebeis confundere ostendit [2]).

Plane vero Plutarcho, qui in vitae Camilli cap. 42 anno 388 u. c. ordinum concordia restituta quartum feriis diem additum esse narrat, diffidendum est, cum non solum ferias Latinas cum ludis plebeis aut Romanis [3]) ille confundat, sed etiam anno 388 u. c. Romanos bello cum ipsis Latinis gerendo occupatos fuisse constet.

---

[1]) anno 261 u. c.
[2]) cf. Schwegl. hist. R. II p. 282 ann. 5.
[3]) ut vult Mommsenus h. R. I p. 456 ann.

Atque Niebuhrium[1]), qui sex illis dies duabus coniecturis admodum incertis nixus tribuit, cum apud Festum s. v. oscillare pro: ‚itaque solitos illis diebus' legendum esse censeret: ‚itaque per sex eos dies' et apud scholiastam Bobiensem: ‚ipsi sex diebus oscillare instituerunt' pro: ‚ipsis diebus etc.', supersedeo refutare.

§ 4.

De Jovis Latiaris[2]) cultu universo.

Priusquam ad ipsam Latinarum celebrationem tractandam aggrediar, de universo Jovis Latiaris cultu dicendum esse puto.

Jam a Latinis priscis Jovem Latiarem cultum esse[3]) Servius ad Verg. Aen. XII v. 135 testatur verbis: ‚Jupiter Latiaris antiquissimus est'. Quae autem Festus s. v. oscillare (pag. 194 ed. O. Muelleri) tradit Latinum regem, postquam proelio, quod ei fuit adversus Mezentium, Caeritum regem, nusquam apparuerit, hominum iudicio Jovem factum esse Latiarem[4]), ea cum Graecorum de talibus rebus opinio Romanis ex sexto urbis saeculo praebuerit, nihili sunt facienda.

Atque summo semper honore hunc deum cultum esse eo efficitur, quod Alba deleta non solum eius cultus servatus est, sed etiam dei placandi causa novemdiale

---

[1]) hist. Rom. II p. 40.

[2]) apud Tertullian. scorpiac. 7, in titulo Or. Henz. coll. 7415, in carmine saeculi quarti p. Chr. n. (Herm. vol. 40 pag. 351 v. 122) Juppiter Latius, a Graecis ubique Λατιάριος appellatur.

[3]) de plurimis donis Jovi oblatis, qui in monte effossa sunt, conferas, si velis, quae Rossius in Annal. d. inst. vol. 43 pag. 239 docuit.

[4]) eandem sententiam scholiasta Bobiensis (Orell. II, pag. 255) sequi videtur, qui etiam Aeneam inducit, quem Latinos priscos ignorasse constat.

a Romanis institutum est[1]) quod anno quoque 408 u. c. prodigiis territos eos celebravisse Livius VII, 28 tradit.

Quod autem priscorum Latinorum ducum morem secuti imperatores Romanorum, quibus triumphus in urbe non erat concessus, in montem Albanum ad Jovis templum et simulacrum eum agere solebant[2]) et Caesar anno 710 u. c. ovationem inde egit[3]), eodem paene atque Capitolinum cultu et honore usum esse Jovem Latiarem ostendit.

Cicero porro pro Mil. 31,85 testem et vindicem scelerum a Clodio commissorum eum appellat: ,tuque ex tuo edito monte, Latiaris sancte Juppiter, cuius ille lacus, nemora finisque saepe omni nefario stupro et scelere macularat'. Caesar autem a Lucano (Phars. I v. 194) Jovem Latiarem exorans inducitur, ut sibi in bello cum Pompeio gerendo faveat. Maxime autem commemoratione dignum est, quod Caligula et ipse Jovem Latiarem se nominavit[4]) et ita a nonnullis consalutatus est[5]). Duo praeterea tituli imperatorum temporibus exarati[6]) aliis quoque honoribus quam quibus feriarum diebus utebatur, Jovem Latiarem affectum esse testantur. Quorum altero (num. 1247) Albae effosso tres milites et sacerdos quidam Jovi Latiari imperatoris Caracallae[7]) conservatori lustrum se facere testantur, alter Pisauri repertus cultores Jovis Latii commemorat, quos non

---

[1]) Liv. I, 31.

[2]) velut Papirius Maso (C. I. L. I, p. 458 et Plin. h. nat. 15, 126), Claudius Marcellus (Plut. Marc. 22), C. Cicereius (C. I. L. I p. 459); cf. Servium ad Verg. Aen. XII v. 135.

[3]) C. I. L. I p. 461.

[4]) cf. Cass. Dion. 59, 28.

[5]) cf. Suet. Cal. 22.

[6]) quos invenies in Orell. et Henz. collect. inscr. tit. 1247 et 7415.

[7]) Cognomina Arabicus Adiabenicus, quibus permotus Orellius hunc titulum spurium esse iudicavit, Caracallae saepe tribuuntur, cf. C. I. L. I, 1619, II, 2457, III, 4371, IV, 6829.

sacerdotes publicos fuisse apparet, sed virorum atque etiam mulierum societatem quandam, quam, ut hunc deum gratissimum omni quo possent honore prosequerentur, inierant.

De Jovis Latiaris templo accuratissime Rossius in annal. d. inst. vol. 45 p. 83 sqq. et vol. 48 p. 314 sqq. disseruit. Is haec statuit: templum area erat satis longa et lata, muris maximis firmissimisque substructa et saepta, intra quam ara ad orientem versus spectans stabat et aedes mediocris magnitudinis, Jovis aedes Latiaris[1]) cum simulacro[2]), praeter quam aliae aliis numinibus dedicatae[3]) et aedificia sacerdotum in templo inerant. Templum utrum a Tarquinio Superbo, ut Dionysius IV, 49 autumat[4]), an etiam prius aedificatum sit, ne Rossius quidem vir doctissimus certo diiudicare ausus est[5]).

Toti autem templo quattuorviros montis Albani praefuisse et flaminem Jovi Latiari fuisse ex titulo collect. Orell. et Henz. 7415 cognoscimus, inque titulo nuper in

---

[1]) ad hanc aedem restitutam titulos XIV, 2231 et 2232 spectare putaverim; mihi quidem alter titulus, cum ab uno homine aedem vetustate collapsam restituisse doceat, cum tit. ib. 2229 IMP... conciliandus esse videtur; geminos denique illos cum tit. 2228 ita cohaerere suspicor, ut Cabenses sacerdotes imperatori T... gratiam referre indicetur, quod Jovis Latiaris aedem summa liberalitate restituerit.

[2]) Dio, 47, 40, Plinius h. nat. 34, 18, Lucanus Phars. I, 533. Etiam Romae imperatorum temporibus templum et simulacrum Jovis Latiaris fuisse Tertullianus (apol. 9 et scorp. 7), Minucius Felix (Octav 22, 6), Cyprianus (de spect. 5) docent, cum humano eum sanguine prolui, cruore perfundi, cruorem ei in faciem iactari paganis obiciant; sed vel antiquissimis temporibus in colle Latiari, quem Varro de l. Lat. V. 52 memorat, eum cultum templumque ei extructum esse crediderim (cf. Jordan top. Rom. II pag. 264).

[3]) cf. Liv. 45, 14, Cass. Dion. 39, 20.

[4]) nescio an hac re permotus ferias ad Tarquinium revocaverit.

[5]) ann. vol. 48 p. 315 et 322.

templo effosso[1]) curatoris aedis sacrae, id est Jovis Latiaris aedis, mentio fit.

Compluribus vero testimoniis certiores facti sumus de sacerdotibus Cabensibus feriarum Latinarum montis Albani, qui nomen a Cabo vel Caba urbe antiqua[2]) in summo monte Albano sita[3]) duxerunt et in sacris sollemnibus faciendis magistratibus praesto fuisse videntur. Quorum mentionem invenimus in titulo ab ipsis imperatori T.... dedicato[4]); praeterea in titulis C. I. L. VI, 1, 2174 et 2175[5]) C. Nonius Ursus et C. Nonius Justinus Cabenses sacerdotes nominantur. Rossii autem sententiae, qui titulo C. I. L. VI, 1, 2019 = XIV, 2245 eiusdem collegii tabulam contineri suspicatus est[6]), obstat, quod in hoc titulo cognomine Graecanico Nic... haud dubie libertus quidam significatur, cum Cabenses, ut omnes fere

---

[1]) C. I. L. XIV, 2233; cf. Ross. ann. 48 p. 330.

[2]) urbis incolae, Cabenses (Καβανοί), memorantur a Plinio III, 9, 64 et a Dionysio V, 61; cf. Momms. bullett. d. inst. arch. 1861 pag. 205 sqq., Rossium ann. d. inst. vol. 45 p. 169 sq.

[3]) ab ea hodie quoque Monte Cavo monti nomen esse Mommsenus l. l. comprobare conatus est.

[4]) C. I. L. VI, 1, 2021, iterum ib. 2173, rursus XIV, 2228. Hunc titulum Henzenus ad imperatorem Tacitum refert, Dessavius contra de T. Antonino Pio cogitat; cf. quae ipse pag. 26 ann. 1 disserui. Atque etiam tituli C. I. L. XIV, 2230 et 4210 a nuperrime reperti a Cabensibus sacerdotibus gratiarum agendarum causa, alter Agrippae, alter Augusto dedicati esse videntur. Titulum priorem ad M. Agrippam revocandum esse Rossius sagaciter perspexit. Quod autem praeter tribuniciam potestatem tertius Agrippae consulatus insuper memoratur, cum sacrum in monte faceret (ib. 2240), a Cabensibus eum patronum electum esse indicare mihi videtur. Cuius tribunicia potestate prorogata Cabenses ut summo se gaudio affectos esse testarentur hunc titulum incidendum curasse crediderim. Perinde Augusto, cum anno 742 u. c. pontifex maximus factus esset, gratos se facere voluisse sacerdotes probabile est.

[5]) hic titulus, quem Mommsenus sagaciter supplevit, ad imperatorum Q. Traiani Decii et Q. Herennii Etrusci tempora revocandus est, ille titulus aetate est paullo priore.

[6]) eph. epigr. II p. 99.

sacerdotes municipales, plerumque ordinis equestris fuerint[1]). Quare quoniam munere calatorum, qui in quovis sacro obeundo sacerdotibus aderant, fungi solebant aut liberti aut homines ignobili loco nati, Bormannus et Henzenus[2]) titulos VI, 2019 a et b (= XIV, 2245 et 2246), praesertim cum in his nomina nullorum nisi libertorum enumerari videantur, calatorum indices esse iudicant; quibus assentiendum esse puto eo magis quod calatorum nomina etiam alibi habemus in tabulis enumerata[3]).

Et ne alteram quidem tit. VI, 2012 vel XIV, 2238 columnam indicem esse sacerdotum Cabensium puto, cum neque alius horum sacerdotum index in monte repertus sit neque quanta in hac columna invenimus intervalla in indicibus occurrere soleant, neque verisimile sit sacerdotes voluisse iuxta ipsos fastos, ad quos perscribendos magno spatio opus erat, sua nomina eximiis intervallis divisa in aedis parietibus insculpere. Quare Rossio manendum erat in sententia eph. ep. II p. 99 prolata ‚pronum erit conicere hanc esse columnam fastorum aevi multo posterioris, quibus suffecti ignotique nobis consules Latinas celebrarunt: eosque loco non suo esse descriptos, quod deficiente iam spatio quicquid vacui parietis supererat, interpolata temporum serie novis fastorum laterculis implebatur'.

---

[1]) cf. Wilmanni de sacerdotiorum publicorum populi Romani quodam genere p. 54.

[2]) annot. ad titulos VI, 2012 et 2019.

[3]) velut in C. I. L. VI, 1, 2184 et 2185, in ephem. epigr. vol. III p. 278 tit. 37 a et b, quibus titulos 31 et 32 in Marinii libro ‚iscrizioni antiche delle ville e dei palazzi Albani' asserendos esse crediderim.

§ 5.

De Latinarum celebratione.

Latinas, nisi pax et otium, ἐκεχειρία πάντων πρὸς πάντας, ut Dionysii verbis[1]) utar, toto Latio esset, agi non potuisse re ipsa apparet. Illud lege et religione cautum fuisse Macrobius Sat. I, 16 testatur: ‚Cum Latiar concipitur, nefas est praelium sumere: quia nec Latinarum tempore, quo publice quondam induciae inter populum Romanum Latinosque firmatae sunt, inchoari bellum decebat...'[2]).

In egregia Latinarum descriptione, quae est apud Dionysium IV, 49, duae potissimum res distinguuntur, ἑορταί et θυσίαι. Ac re vera a ceteris Latinarum diebus, quibus omnia plena erant gaudii, discernendus est is dies, quo sacra sollemnia Jovi fiebant et qui, cum longe illis excelleret, praeter ceteros festus dies Latinarum a Floro[3]) vocatus est proprieque, cum Latinae de toto triduo intelligi solerent[4]), a veteribus scriptoribus nomina-

---

[1]) IV, 49.

[2]) Dionysii locos IV, 49 et VI, 95 Macrobius in animo habuisse videtur; neque vero foedera quaedam quotannis inter Romanos et Latinos feriarum diebus confirmata esse hoc ex loco Prellerus mythol. Rom. pag. 188 elicere debuit, cum Macrobius non foederum, sed induciarum verbo usus sit neque pergat: ‚quotannis firmabantur', sed: ‚quondam firmatae sunt'.

[3]) II, 6, 8.

[4]) in quantam tamen notionis proprietatem propter singularem diei festi speciem vox Latinarum abierit, argumento sunt Cic. de rep. I, 9: ‚Latinis ipsis mane ad me venit Q. Tubero', Liv. 8, 11 ‚renovatur foedus quotannis post diem decimum Latinarum', 44, 19 ‚pridie idus Apriles Latinis esse constitutam diem', 44, 22 ‚Latinis, quae pridie kalendas Apriles fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato', atque, quod maximum est, in fastis vox ‚Latinae' diem festum ubique significat.

tus est Latiar[1]). Quem ultimum diem fuisse documento sunt Livii libri 25, 12 verba: ,Romae consules praetoresque usque ad ante diem quintum kal. Maias Latinae tenuerunt; eo die perpetrato sacro in monte in suas quisque provincias proficiscuntur' et eiusdem l. 44, 22, quibuscum conferas Cic. ad Q. fr. ep. 2, 4, 2 et Suet. Caes. c. 79. Atque ex hoc potissimum die dierum rationem in tempore Latinarum definiendo institutam esse[2]) non est mirum.

Dum Latinae habebantur, omnes magistratus Romae urbis, quantum fieri poterat, in monte Albano adesse oportebat; cuius rei Strabo V p. 229: ,*ἐνταῦθα Ῥωμαῖοι σὺν τοῖς Λατίνοις Διὶ θύουσιν, ἅπασα ἡ συναρχία ἀθροισθεῖσα*' et Dionysius VIII, 87: ,*οὐδὲ ἀπαυλισθῆναι τῆς πόλεως αὐτοῖς* (i. e. *τοῖς δημάρχοις*) *θέμις, ὅτι μὴ πρὸς ἕνα καιρὸν, ἐν ᾧ πᾶσαι θύουσιν αἱ τῆς πόλεως ἀρχαὶ κοινὴν ὑπὲρ τοῦ Λατίνων ἔθνους τῷ Διὶ θυσίαν ἐπὶ τὸ Ἀλβανῶν ὄρος ἀναβαίνουσαι*'.

Alterius autem consulis iusta quadam causa Latinis interesse prohibiti absentiam religioni nihil offecisse[3]) eo apparet, quod anno 586 u. c. Livio auctore (45, 3) alter consul, cum collega in Macedonia bello occupatus esset, feriis gratias Jovi agendi causa redintegratis sacrum fecit titulusque C. I. L. VI, 1, 2014 = XIV, 2240 Augustum consulem quater deinceps in monte non fuisse docet aut valetudine impeditum aut in Hispania detentum[4]). Memoria dignum est, quod in Latinarum fastis consulum nomina saepe alio atque in ceteris fontibus ordine affe-

---

[1]) cf. Macrob. Sat. I, 16, 16: ,Latiar, hoc est Latinarum sollemne', Cic. Q. fr. 2, 4, 2: ,dies erant duo, qui post Latinas habentur religiosi: cetero confectum erat Latiar. Erat exiturus . . .', Cass. Dion. 47, 40: ,*ὁ πολίαρχος τὰ Λατιάρια ἐποίησεν*'.

[2]) cf. Liv. 44, 22.

[3]) cf. Momms. iur. publ. Rom. vol. I p. 30.

[4]) consulibus recipiendis peculiari aedificio provisum fuisse argumento sunt Dionis verba 54, 29: ,*κεραυνὸς ἐς τὴν ἐν τῷ Ἀλβανῷ οἰκίαν, ἐς ἣν οἱ ὕπατοι ἐν ταῖς ἱερουργίαις καταλύουσιν, ἐνέσκηψεν*'

runtur; velut fasti anni 305 u. c. a Livio, Dionysio Hal., Cicerone, Zonara, annorum 538 et 552 a fastis capitolinis, anni 43 p. Chr. n. a Plin. hist. nat. 10, 12, 38, anni 106 p. Chr. n. a titulo Or. Henz. coll. III n. 7081 dissentiunt; maximi vero momenti est, quod Q. Fabius Maximus, quem tribus deinceps annis Latinis interfuisse tit. C. I. L. XIV, 2238 docet, in primi anni fastis, quamquam ipse tertium, collega primum consul erat, posteriore, in sequentium annorum fastis priore loco affertur; neque inversus quo commemorantur Ti. Sempronius Gracchus et Fabius ordo erit contemnendus. Itaque non ei consuli, qui prior creatus[1]) aut maior natu erat aut saepius consulatum gesserat, prior tributus est locus, sed cui sorte aut collegae consensu[2]) sacra sollemnia erant procuranda. Quem imperatoribus eorumve filiis[3]) honorem a collegis concedi solitum esse consentaneum est.

Atque per omnes Latinarum dies magistratus in monte fuisse inde colligi potest, quod praefectus feriarum Latinarum, quem consules Romae relinquebant, per plures dies munere fungebatur[4]). Senatui autem Romae manere atque, si vellet, decreta facere licuisse e Gellii l. XIV c. 8 cognoscitur.

Num Latii oppidorum quoque omnes magistratus in montem convenire oportuerit, e fontibus non satis perspici potest, nisi quis Strabonis loco V p. 229 hunc sensum elicere vult; illud tantum pro certo affirmari potest ex quovis Latinorum oppido magistratum quen-

---

[1]) in fasti anni 42 p. Chr. n. prior laudatur Cestius Gallus, etsi consul suffectus erat, posterior Caecina Largus, qui per totum annum fasces gessit.

[2]) Mommsenus in iur. publ. Rom. vol. I p. 41 sq. plerumque inter consules convenisse demonstravit, uter quoque tempore sacrum publicum faceret.

[3]) Augusto (C. I. L. XIV, 2240) et Domitiano (ib. 2242).

[4]) cf. Cass. Dion. 43, 48 et 53, 33.

dam missum esse, qui carnem acciperet et precaretur [1]; quem summum plerumque magistratum [2]) fuisse consentaneum est.

Atque duo primi Latinarum dies laetitiae dabantur. Etenim multitudo, quae frequentissima undique convenerat, otio concordiaque fruebatur. Magna autem temporis pars consumebatur gratissima illa consuetudine oscillandi in laqueis, qui ex arboribus pendebant, cuius moris causam atque rationem explicare scholiasta Bobiensis ad Cic. Planc. 9, 23 et Festus s. v. oscillare sunt enixi. Cum autem oscilla [3] etiam in Argeorum sacris usitata fuisse constet [4] et in illis pro hominum corporibus ea deis oblata esse Dionysius (1, 38) et Plutarchus (qu. Rom. 86) testentur, dubitari nequit, quin in monte quoque Albano Latini olim Jovi Latiari ad impetrandas sospitatem et purgationem homines mactaverint, postea in similitudinem oscillorum personati pendulis machinis ipsi se agitaverint, aëris afflatu rati fore, ut purgarentur [5]. Cum vero in urbe Roma Jovis Latiaris simulacrum hominis noxii vel gladiatoris sanguine feriis Latinis spargi soleret, homines etiam in monte Albano olim esse immolatos certissimum est.

Ex illo Festi loco servis quoque dominos comitantibus Latinis interesse et cum illis oscillare licuisse liquet, ut, quemadmodum his diebus inter eas civitates, quae dominabantur, et eas, quae oboediebant, discrimem esse desiit, sic inter dominos et servos dignitatis gradus quodammodo sublatus esse videretur.

---

[1]) cf. Liv. 41, 16: ‚quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat populo Romano Quiritium, religioni fuit' et Lucan. Phars. III, 87:

‚Quaque iter est Latiis ad summam fascibus Albam.'

[2]) duumvirum aut quattuorvirum.

[3]) graece εἴδωλα.

[4]) cf. Marq. vol. 3 pag. 192 sqq.

[5]) cf. Serv. ad Georg. 2, 389 et ad Aen. 6, 741; Lobeckii Aglaoph. pag. 585.

Tertii autem diei cum alii scriptores tum Dionysius IV, 49 hanc fere imaginem adumbratam reliquerunt. Taurus communibus populorum Latii impensis comparatus immolabatur ab eis, qui sacris praeerant [1]. Taurum album esse oportebat, quem morem senatus consulto aliquando esse commutatum rufulosque Jovi tauros esse datos Arnobius 2, 68 exprobrat. Tauri exta Jovi cremabantur, caro non comedebatur, sed uni cuique civitatum debita pars dabatur [2], atque haec carnis distributio tanta erat religione, ut, si qua parte sua civitas carebat, instaurari Latinas oporteret [3]. Quapropter carnem petere vel accipere idem valuisse in hominum oribus atque Latinarum participem esse intelligitur [4].

Quibus rebus perpetratis suorum quaeque donorum, quae apportaverat, civitas partem in Jovis ara ponebat. Quae qualia fuerint, Dionysius IV, 49 describit sic: ,καὶ φέρουσιν εἰς αὐτὰς (sc. τὰς Λατίνας) αἱ μετέχουσαι τῶν ἱερῶν πόλεις αἱ μὲν ἄρνας [5], αἱ δὲ τυρούς, αἱ δὲ γάλακτός τι μέτρον [6], αἱ δὲ ὅμοιόν τι τούτοις πελάνου γένους'. Aes denique quod auctore Festo p. 210 pro piscibus in monte Albano datum et piscatorium aes nominatum est, feriis Latinis oblatum esse inde apparet, quod et a Plinio (hist. nat. III, 9, 68) Suetonioque (Claud. 4) mons Albanus pro Latinarum sollemnitate in eo habita aperte

[1]) a consulibus plerumque Romanis; sed Dione auctore anno 698 u. c. sacrum quidam fecit οὐκ ὀρθῶς πραχθείς (39, 30) et anno 712 u. c. vel ipse praefectus feriarum Latinarum (47, 40).

[2]) cf. Dionys. IV, 49: ,ἑνὸς δὲ ταύρου κοινῶς ὑπὸ πασῶν θυομένου μέρος ἑκάστη (sc. πόλις) τὸ τεταγμένον λαμβάνει. θύουσι δὲ ὑπὲρ πάντων καὶ τὴν ἡγεμονίαν τῶν ἱερῶν ἔχουσι 'Ρωμαῖοι' et Serv. Verg. Aen. I, 211: ,ut in Albano Latinis visceratio dabatur, id est caro'.

[3]) cf. Liv. 32, 1 et 37, 3.

[4]) e Varr. de l. L. VI, 25, Cic. pro Planc. 9, 23, Plin. h. n. III, 9, 68.

[5]) quae Jovi hostiae dabantur, eas a mulieribus Latinis in montem ductas esse e Ciceronis ep. ad Att. I, 3 comperitur.

[6]) cf. Fest. s. v. oscillare et Cic. de div. I, 11: ,et laeto mactasti lacte Latinas'.

ponitur et Rossius (ann. d. inst. 48 p. 323) in monte magnam vim aeris rudis repertam esse communicat [1]. Qui dona magistratus offerebat, ut peculiari unum quodque eorum precatione pro Romanis civitatibusque Latinis prosequeretur, tanta erat religione praeceptum, ut anno 578 u. c., quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat populo Romano, Livio teste (41, 16) feriae redintegratae sint.

Tum oblatis donis omnes, qui in monte aderant, ad epulandum considebant et reliquam donorum partem ipsi comedebant [2]; postremo, cum iam nox ingruisset, magna flamma, quae quam longissime conspiceretur, incensa Latinas confectas esse ostendebatur [3].

Ad Latinarum celebrationem nihil attinet, quod triumphi interdum in montem Albanum acti sunt [4]. Etenim cum Papirius Maso consul ante diem tertium Nonas Martias anni 523 u. c. in monte triumpharet [5] cumque tum quidem Kal. Maiis consules magistratum inirent [6], e temporis ipsa ratione nullam inter triumphum et ferias necessitatem intercessisse apparet; nec magis C. Cicereii triumphum, quem is Kal. Octobribus anni 582 u. c. in montem egit [7], cum feriis coniunctum fuisse existimandum est, cum proximo quidem anno Kal. Juniis has fuisse Livius 42, 35 narret. Denique quotiens triumphum in montem actum esse accipimus,

---

[1]) cf. in universum Marqu. III p. 174.

[2]) cf. Dionys. IV, 49: συνεστιάσεις.

[3]) cf. Luc. Phars. I, 550: ,Ostendens confectas flamma Latinas
Scinditur in partes geminoque cacumine surgit,
Thebanos imitata rogos,' et V, 400:

,Nec non Iliacae numen quod praesidet Albae,
Haud meritum Latio sollemnia sacra subacto,
Vidit flammifera confectas nocte Latinas.'

[4]) cf. pag. 25.

[5]) C. I. L. I p. 458.

[6]) cf. Momms. chronol. Rom. p. 101.

[7]) C. I. L. I p. 459.

totiens de feriis tacent libri et tituli. Uni Augusti beneficio Druso contigit, ut feriis Latinis redintegrandis triumphi splendorem dignitatemque augere ei permitteretur [1]). Nec minus peculiari plebiscito Caesari opus erat, ut confectis Latinarum sacris e monte ovans rediret in urbem [2]).

Sed dum illa in monte fiebant, etiam Romam urbem otium gaudiumque tenebant. Nam ut omnibus feriis [3]), ita Latinarum quoque diebus cives a litibus, discordiis, publicis denique et privatis negotiis se abstinebant [4]).

Atque etiam ludi Romae facti sunt, ad quos Livii verba 5, 19, 1: ‚Jam ludi Latinaeque instauratae erant' [5]) nec minus Tertulliani (apol. 9) et Cypriani (de spect. 5) verba pertinere apparet. Atque quadrigarum certamina fuisse Plinius hist. nat. 27, 7, 45 his narrat: ‚si quidem Latinarum feriis quadrigae certant in Capitolio victorque absinthium bibit, credo, sanitatem praemio dari honorifice arbitratis maioribus'; quibus imperatorum temporibus gladiatorum ludos venationesque addita esse ex Minucii Felicis (Oct. 30, 4) et Tertulliani (apol. 9) manifestum fit verbis, quibus Jovis illi in urbe simulacrum bestiarii vel noxii hominis sanguine perfundi narrant. Omnibus denique temporibus Latinarum diebus Romae

---

[1]) cf. Cass. Dion. 55, 2.

[2]) conferas acta triumphalia (C. I. L. I p. 461) cum Suet. Caes. 79 et Dion. 44, 4.

[3]) cf. Macr. Sat. I, 16, 9.

[4]) cf. Cic. de rep. I, 9; non magni erat momenti, quod praefectus feriarum Latinarum, quem consules Romae relinquere solebant, comitiorum senatusque convocandorum iurisque dicendi potestatem habebat.

[5]) In Livii loco 5, 17, 2: ‚magistratus vitio creatos Latinas sacrumque in Albano non rite concepisse' vox ‚Latinas' nescio an depravata sit legendumque potius ‚ludos', quia ille Livii locus ad hunc spectat et vox Latinarum pro sacris in monte factis persaepe (cf. pag. 6 ann. 1), pro ludis Romae habitis occurrit nunquam.

sunt Jovi homines mactati, collatis testimoniis Paulini Nolani poem. ultim. 108:

,Hinc Latiare malum prisci statuere Quirites,
Ut mactatus homo nomen satiaret inane',

Athanasii contra Graec. p. 27 ,*καὶ οἱ πάλαι δὲ Ῥωμαῖοι τὸν καλούμενον Λατιάριον Δία ἀνθρωποθυσίαις ἐθρήσκευον*', Porphyrii de abst. 2, 56: ,*ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν τίς ἀγνοεῖ κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν τῇ τοῦ Λατιαρίου Διὸς ἑορτῇ σφαζόμενον ἄνθρωπον*' [1]); cui rei Dionysii, cum IV, 49 de sola in monte sollemnitate memoriae prodiderit, nihil officit silentium.

Atque etiam duos post Latinas dies religiosos habitos esse Cicero in epist. ad Quint. fr. 2, 4, 2 tradit.

§ 6.

Quo anni tempore fuerint feriae Latinae.

A tertio usque ad sextum urbis saeculum plerumque non ita multo postquam summi magistratus munus inierunt, ferias habitas esse, quoniam permultis scriptorum locis atque ipsis fastis probatur, inter omnes constat [2]). Nec mirum est propterea quod consulibus non ante in provincias proficisci licebat quam sacrum in monte perpetrassent [3]). Neque igitur, cum consules temporibus aliis alio die magistratum inirent, fieri potuit, quin feriarum tempus eadem ratione differretur. Velut anno 303 u. c., quo consules Idibus Maiis magistratum inisse existimandum est [4]), mense Maio seu potius Junio, anno 305 u. c., quo illi Idibus Decembribus inierant [5]),

---

[1]) Locos huc pertinentes collectos invenies in Roeperi quaest. pontif. p. 38 sq.

[2]) cf. Marq. III p. 297 sq. et Momms. quaest. Rom. II p. 104 sq.

[3]) cf. Liv. 21, 63; 25, 12; 41, 16; 42, 35; 44 c. 17 et c. 19 et c. 22; Cass. Dion. 46, 33.

[4]) cf. Momms. chron. Rom. p. 91.

[5]) l. l. p. 92.

ante diem quartum Idus Januarias, ab anno 536 usque ad annum 542 u. c., quibus Idibus Martiis inierant, Aprili plerumque vel Maio Latinas fuisse fasti[1]) ostendunt. Postquam autem anno 600 u. c. consules Kal. Januariis munus inire coeperunt, etiam feriae ut Januario mense vel Februario vel Martio haberentur, et res per se ipsae postulabant et singula exempla, a Marquardto et Mommseno neglecta[2]), ita rem se habuisse comprobant. Anno quidem 698 u. c. Martio mense Latiar confectum atque etiam Latinas instaurandas iam fuisse conceptas ex Ciceronis epistula ad Q. fr. 2, 4 apparet[3]). Anno porro 704 u. c. Latinas initio anni conceptas esse iam supra dictum est[4]). Initio autem anni 705, ubi primum Caesar Rubiconem traiecit, habitas esse Latinas Lucanus I, 550 testatur. Atque Latinas anni 710, quibuscum Caesaris ex monte Albano ovatio coniuncta erat, ante diem septimum Kal. Februarias fuisse ipsa acta triumphalia[5]) docent. His igitur exemplis, in quibus quid alieni aut inusitati fuisse non traditur, ex anno 600 u. c. primis anni mensibus Latinas celebratas esse comprobatur.

Quod Dio 47, 40 ferias Latinas anni 712 post triumvirorum in Asiam transitum, sed ante proelium Philippense collocat, ut autumno demum eas fuisse facili negotio[6]) efficiatur, id quidem tempus inusitatissimum fuisse ipse expressis verbis commonet: ‚οὔτ' ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ γίγνεσθαι εἰωθότα'. Atque quod anno 718 u. c., si Dionem accurate inspicimus rerumque nexum reputamus[7]), item autumno ferias fuisse perspicuum est, causa

---

[1]) C. I. L. XIV, 2236 et 2238.

[2]) locis pag. 36 ann. 2 laudatis.

[3]) cf. Cass. Dion. 39, 30.

[4]) pag. 21.

[5]) C. I. L. I p. 461; cf. Cass. Dion. 44, 4 et Suet. Caes. 79.

[6]) collatis iis quae a Dione 47, 36, ab Appiano bell. civ. IV, 86 sqq. et 122, a Plutarcho Brut. c. 47 de illis rebus traduntur.

[7]) Dion. 49, 16 et 17; cf. App. bell. civ. 98 et 99.

in rebus maxime turbatis, quibus alia quoque inaudita fiebant[1]), posita videtur fuisse.

Verum cum anno 720 ferias Dione auctore, qui eas postquam diem festum Veneris Genetricis[2]) commemoravit et priusquam Lepidi Paulli consulis[3]) mentionem fecit, narrationi inseruit[4]), mense Aprili aut Maio aut Junio fuisse appareat et cum, quod summum est, omnibus Latinarum fastis ad imperatorum aetatem pertinentibus[5]) aestivo potissimum tempore eas habitas esse ostendatur: Latinarum dies, quae bellorum civilium aetate intra anni spatium valde iactata erat, tum senatus decreto vel Caesaris Octaviani edicto denuo tandem firmata inque aestivo quidem tempore constituta esse videtur. Aestate vero cur ferias fieri placuerit: et sollemnitati hilaritatique aestatem magis quam hiemis frigus[6]) convenisse censuerim et consulibus eo iam tempore in urbe remanere licebat, cum viri maxime insignes bellique periti bella gererent.

§ 7.

De feriis Latinis instauratis et redintegratis.

Duabus de causis feriae Latinae redintegrari solebant: aut quod mali aliquid in Latinis sollemnibus acciderat, sive non rite erant conceptae[7]) sive in carne distribuenda[8]) aut in donis offerendis[9]) aliquid vitii erat commissum, sive tempestate illae erant turbatae[10]), aut quod magnum deorum beneficium rei publicae oblatum esse videbatur, sive egregia victoria erat parta sive foedus peropportunum pactum sive periculum a re pu-

[1]) cf. Dion. 39, 30; 41, 14; 43, 48; 49, 16 et 42. — [2]) Kal. Aprilibus erat, cf. Ovid. fast. IV, 1 sqq. — [3]) is Kal. Juliis consulatum iniit. — [4]) Dio 49, 42, 1. — [5]) C. I. L. VI, 1, 2014—2018 = XIV, 2240—44. — [6]) cf. Cic. de div. I, 11. — [7]) cf. Liv. V, 17 et 19 et Plut. Cam. 4. — [8]) cf. Liv. 32, 1 et 37, 3. — [9]) Liv. 41, 16. — [10]) Liv. 40, 45.

blica erat propulsatum [1]). Atque querimonias de vitiis in sacris commissis ad senatum delatas ab eoque ad pontificum collegium reiectas esse Livius auctor est, apud quem hac de re scriptum videmus 41, 16: ,quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat populo Romano Quiritium, religioni fuit. id cum ad senatum relatum esset senatusque ad pontificum collegium reiecisset, pontificibus, quia non recte factae Latinae essent, instauratis [2]) Latinis placuit Lanuvinos, quorum opera instauratae essent, hostias praebere', 40, 45: ,itaque Latinas atrox subito coorta et intolerabilis tempestas in monte turbavit, instaurataeque sunt ex decreto pontificum', 32, 1: ,feriae Latinae pontificum decreto instauratae sunt, quod legati ab Ardea questi in senatu erant, sibi in monte Albano Latinis carnem, ut adsolet, datam non esse'. Atque primo ex loco ex iis, qui in culpa erant, vel poenae sumendae potestatem fuisse pontificibus elucet. Neque veritos esse malos homines hac populi Romani in instaurandis feriis religione abuti Cicero testis est, qui in epistula ad Quintum fratrem data 2, 4, 4 consules anni 698, ut comitia prohiberent, Latinas instaurare vel instauraturos esse tradit [3]).

Sed non solum Jovis placandi, sed etiam deo gratiae referendae causa ferias interdum redintegratas esse nonnullis locis comperimus [4]). Velut Livius 45, 3, postquam de Perseo et Illyriis ab Aemilio Paulo devictis verba fecit, hunc in modum pergit: ,ob eas res gestas ductu auspicioque L. Anici praetoris senatus in triduom supplicationes decrevit. iterum Latinae edictae a consule sunt . . . . ,' Dio autem 55, 2 de Drusi, Germano-

---

[1]) cf. infra.

[2]) ea hac in condicione sollemnis erat vox.

[3]) cf. Dion. 39, 30.

[4]) his de locis sagaciter disputavit Mommsenus in Hermae vol. V p. 383 sqq. et in quaest. Rom. vol. II pag. 105 sq.

rum victoris, triumpho in montem agendo haec narrat: ,*καί γε αἱ ἀνοχαὶ δεύτερον τὴν χάριν αὐτοῦ, πρὸς τὸ τὰ νικητήρια ἐν ἐκείναις αὐτὸν ἑορτάσαι, γενήσεσθαι ἔμελλον*'. [1]) Trinae vero cur Latinae fuerint anno 305 u. c. [2]), facile quis miretur. Quod Mommsenus[3]) alterum eas fuisse censet, quod universus populus Romanus rem publicam e temporum fluctibus incolumem emersisse gauderet, tertium, quod plebs sua sibi iura restituta esse laetaretur, mihi quidem probabilius videtur ter habitas esse Latinas, quod non modo gratia referenda esset Jovi propter libertatem vindicatam, verum etiam, cum priore anno non fuisse Latinas iidem fasti prodant, placandus esset Jupiter iis reparandis. Anno porro 731 u. c.[4]) propter potestatem tribuniciam ab Augusto susceptam Latinas alterum habitas esse Mommseno[5]) assentior. Instauratas non esse eo anno Latinas liquet propterea, quod aegre fieri potuit, ut, imperator cum iis praefuisset, patres vel pontifices eas instaurandas censerent [6]).

---

[1]) quod feriae propter improvisam Drusi mortem non sunt habitae, ad causam nostram nihil attinet.

[2]) C. I. L. VI, 1, 2011 = XIV, 2236.


[3]) qu. Rom. II pag. 105 sqq.

[4]) C. I. L. XIV, 2240; cf. Cass. Dion. 53, 32 et 33.

[5]) l. l. pag. 108.

[6]) cf. etiam pag. 57 ann. 5 extr.





Pars tertia.

De praefectis urbis Latinarum diebus Romae relictis.

Haud dubie munus praefecti urbis, qui per Latinarum dies magistratuum in Albano monte morantium loco esset, vel antiquis temporibus creatum est; etenim antiquitus Romanorum iure praeceptum erat, ut, qui summum imperium haberet, si plus unum diem Roma abesset, relinqueret, qui ius diceret, qua de re conferas Taciti verba annalium libri VI c. 11: „Namque antea profectis domo regibus ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui ius redderet ac subitis mederetur, ...; dein consules mandabant; duratque simulacrum, quotiens ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet' et Pomponii verba, quae sunt in digestorum libri I § 2, 2, 33: ‚Quotiens proficiscuntur [sc. magistratus] unus relinquitur, qui ius dicat; is vocatur praefectus urbi. Qui Praefectus olim constituebatur,. postea Latinarum feriarum causa introductus est et quotannis observatur'.

Sed non solum antiquis temporibus exstitit Latinarum diebus praefectura, verum etiam, cum quaevis alia praefectura urbis esse desineret praetura instituta, haec sola, quoniam praetor quoque in monte aderat, quasi simulacrum priscae praefecturae, ut Taciti verbis utar, remansit.

Praefectus, qui feriarum Latinarum causa in urbe relinquebatur, saeculo demum post Chr. n. secundo quo viri docti consueverunt nomine praefecti (urbis) feriarum Latinarum appellatus est; etenim apud Sallust. hist. c. 3 frg. 48, in tit. ‚inscr. de Bordeaux' p. 91, C. I. L. II, 3837,[1]) act. inst. arch. Athen. 7 p. 127, apud Tacit. ann. IV, 36 Gelliumque XIV, 8[2]) praefectus urbis vel urbi et eadem ratione in tit. C. I. Att. III, 1, 612 et act. inst. arch. Ath. l. l. ἔπαρχος Ῥώμης[3]) nominatur[4]), praefectus autem urbi feriarum Latinarum in titulo demum C. I. L. VI, 1, 1421 Hadriani aetate exarato[5]); cum autem in tit. quoque ib. X, 1, 3724 et XI, 1432[6]) priore saeculi secundi parte insculptis eadem verba occurrant, in tit. contra III, 550, XIV, 3609, VI, 1, 1343, 1422, 1332, 1358 recentioribus fere temporibus incisis et apud Capit. Ant. Philos. c. 4 verba ‚praefectus feriarum Latinarum' inveniantur, haec post illa usitata fuisse elucet[7]).

---

[1]) hoc loco ‚praefecto urb. iuri dicundo' scriptum videmus.

[2]) Junii Gracchani verba sunt.

[3]) apud Cassium Dionem contra, qui saeculo tertio historiam scripsit, nonnullis locis ‚ὁ πολίαρχος ὁ διὰ τὰς ἀνοχὰς vel ἐν ταῖς ἀνοχαῖς' legitur.

[4]) quare etiam tit. bull. arch. comun. 1883 tab. 19 primo post Chr. n. saeculo tribuendum esse puto.

[5]) non recte igitur sentit Mommsenus (in iur. publ. Rom. vol. I p. 664 ann. 1.), qui, cum liberae rei publicae temporibus praefecti feriarum Latinarum non occurrant, eos, quod paucos per dies munus gerebant, primo in iustorum magistratuum numero a Romanis non esse habitos iudicat. Etiam Pomponii verba, quae supra attuli, sententia meae non repugnant, immo consentiunt; neque vero postea praefectum Latinarum feriarum causa introductum, sed verbis: ‚praefectus urbis' haec: ‚feriarum Latinarum' addita esse dicere debuit.

[6]) verbum ‚Latinarum' in altero omissum est, in altero excidit.

[7]) quamobrem titulos VI, 1, 3851 et 1582 et IX, 3667 saeculo potius secundo quam posterioribus dedicatos et in tit. XIV, 2501 ‚praefecto urbis feriarum Latinarum' legendum esse suspicor.

Atque praefectum, qui ob Latinas ferias Romae relinquebatur, ne urbs sine imperio esset, eodem modo quo praefectos olim constitutos delectum esse et eandem potestatem habuisse consentaneum est. Neque igitur, cum illi a consulibus eligerentur[1]), quin etiam hic praefectus urbis eodem modo constitutus sit, est cur dubitemus. Ac profecto in titulo C. I. L. VI, 1, 1421 insigne testimonium extat, ab Hadriano, cum anno 118 p. Chr. n. consul iterum esset, praefectum urbi feriarum Latinarum factum esse[2]). Verum Linkerus hos praefectos comitiis tributis creatos esse sententiam proposuit[3]); in quem errorem maxime Dionis loco 54, 6: ‚*ταραχῆς δέ τινος περὶ τοῦ πολιάρχου τοῦ διὰ τὰς ἀνοχὰς αἱρουμένου χειροτονίαν συμβάσης οὐκ ἐπεκράτησεν αὐτῆς* [sc. *Ἀγρίππας*], *ἀλλ' ἄνευ τῆς ἀρχῆς ταύτης τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον*[4]) *διεγένοντο*' inductus est, cum discordiam atque tumultum de ipsa eligendi ratione ut nova et inaudita exorta esse parum intelligeret; ne ex Dionis loco 60, 5 illo quidem: ‚*τοὺς γαμβροὺς τότε τε ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι καὶ μετὰ ταῦτα πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς ἀνοχαῖς ἐκέλευσε* [sc. *Κλαύδιος*]', quamquam vigintiviri a plebe creabantur, etiam hos praefectos creatos esse licebat ei colligere. Sallustii porro locum Histor. c. 3 frg. 48[5]): ‚De praefecto urbis quasi possessore rei publicae magna utrimque vi contendebatur' cur de duarum populi partium potius quam consulum anni 676[6]) contentione ac-

---

[1]) nec minus in municipiis praefecti a duumviris; cf. iuris publici Salpensae cap. 25.

[2]) Cum consul, a quo hic praefectus proditur, in ceteris titulis non nominetur, hic Hadriani consulis iique imperatoris nomen quasi decus quoddam atque ornamentum additum videtur esse.

[3]) in commentario, qui inscribitur Ueber die Wahl des altrömischen praefectus feriarum Latinarum; quem invenies in actis academiae Vindobonensis 1853 p. 1 sqq.

[4]) annum 733 u. c. — [5]) edit. Kritzianae.

[6]) argumenta, quibus usus hoc fragmentum Linkerus coniecturae suae confirmandae causa anno 678 tribuere vult, probari nequeunt.

cipiamus, nulla est causa. Cui autem urbem gubernandam mandaturi essent, inter consules plerumque convenisse consentaneum est, sedtamen interdum dissensionem hac de re inter eos fuisse Sallustii locus, quem supra attulimus, docet[1]). Sed praeter consuetudinem factum eamque ob rem Dioni (49, 42) commemoratione dignum visum est, quod anno 720 u. c. Octavianus, quamquam non erat consul, etiam complures praefectos fecit. Item complures praefectura functi sunt anno 731 u. c. Dione auctore, qui 53, 33 haec tradidit: ‚*κἀν ταῖς ἀνοχαῖς δύο καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐπολιάρχησαν, καὶ εἷς γέ τις αὐτῶν οὐδ᾽ ἐς μειράκιόν πω τελῶν ὅμως ἦρξεν*'[2]). Sed haec fuerunt insueta, nam unus quoque tempore praefectus urbi a consulibus relinqui solebat. A quo more cum esset aliquotiens recessum, ab Augusto anno 736 u. c. vel lex lata est, ut unus praefectus feriarum esset[3]). Ac ne quis imperatorem Claudium hanc legem contempsisse existimet, videat quae pag. 48 proferentur.

Neque vero quem consules praefectum reliquerant, ei munere sua sponte recedere aut ad alterum id deferre licebat. Et tamen semel contra hoc factum esse Dio quidem, alienarum atque inusitatarum rerum auctor cupidissimus, indagavit (43, 48). Atque idem interdum praefectum relictum esse utique nullum, sed praetores eius munere functos esse 41, 14 et 49, 16 testatur[4]).

Fungebantur autem hac praefectura plerumque adolescentes, qui senatorii maxime ordinis erant. Gellius quidem XIV, 8 adolescentes Gracchorum aetate praefecturam tenuisse testatur et Strabo V p. 229 de sua

---

[1]) fortasse ad eandem rem Dionis locus 54, 6 spectat.

[2]) Comparantibus nobis hunc locum cum Dionis l. 43 c. 48: ‚*πολίαρχός τις ἐν ταῖς ἀνοχαῖς καταστὰς ἕτερον αὐτὸς τῆς ὑστεραίας ἀνθείλετο καὶ ἐκεῖνος ἄλλον· ὃ μήτε πρότερον μήθ᾽ ὕστερόν ποτε ἐγένετο,*' illo anno consulum iussu alteros ab alteris munus excepisse elucet.

[3]) Dio 54, 17.

[4]) cf. etiam Dion. 54, 6.

aetate idem tradit[1]). Atque anno 720 u. c. adulescentulos istos equestris ordinis fuisse Dio 49, 42 inter alias res inusitatas commemorat[2]), sed etiam anno 118 p. Chr. n. eques publicus praefectus feriarum invenitur in titulo C. I. L. VI 1, 1421. Jam vero haec praefectura, cum aeque ac seviratus et vigintiviratus ante quaesturam post togam virilem sumptam adulescentibus pateret et sui hominibus ostendendi commendandique occasionem daret, ad filios nepotesque imperatorum saepe delata est, ut ad Octavianum, Drusum, Germanici filium, Neronem, Hadrianum, M. Aurelium. Atque adeo imperatorum cognatos hunc honorem quasi usurpasse Augusti litterae ad Liviam datae, quae apud Suetonium in Claudii vitae cap. 4 inveniuntur, praeclare docent[3]).

Universam autem praefecti feriarum potestatem uno Taciti enuntiato (VI, 11) comprehendi licet, qui illum consulare munus usurpare[4]) optime dicit. Poterat igitur praefectus urbi Latinarum diebus relictus aeque atque praefectus urbi olim constitutus senatum cogere moderarique[5]), agere cum populo, id est comitia convo-

---

[1]) ‚τῇ πόλει ἐφιστᾶσιν ἄρχοντα πρὸς τὸν τῆς θυσίας χρόνον τῶν γνωρίμων τινὰ νέων.'

[2]) ‚ἔν τε ταῖς ἀνοχαῖς αἱρετοὶ ὑπὸ τοῦ Καίσαρος πολίαρχοι, παῖδες, ἄνηβοι, ἐξ ἱππέων ἀλλ'οὐκ ἐκ βουλευτῶν γεγονότες ἦρξαν.' Quod Dio hoc loco et 53, 33 etiam pueros praefecturam tenuisse dicit, fortasse haud maior fides ei debetur, quam eo loco, quo de L. Junii Silani adulescentia refert (60, 31), quam eum exaggerasse pag. 48 ostendetur.

[3]) ‚In Albanum montem ire eum [sc. Claudium], non placet nobis, aut esse Romae Latinarum diebus. Cur enim non praeficitur urbi, si potest sequi fratrem suum in montem?'

[4]) et quidem quale fuit ante praeturam institutam.

[5]) cf. Gell. XIV, 8: ‚Praefectum urbi Latinarum causa relictum senatum habere posse Junius [sc. Gracchanus] negat, quoniam ne senator quidem sit neque ius habeat sententiae dicendae, cum ex ea aetate praefectus fiat, quae non sit senatoria. M. autem Varro et Ateius Capito ius esse praefecto senatus habendi dicunt deque ea re adsensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Junii

care [1]), privatorum controversias componere. Quamquam praefectum ullum comitia aut senatum convocasse non extat testimonium atque propter plurimorum civium absentiam illud fieri vix potuit: privatorum vero res praefecti arbitrio identidem commissas esse iudicandas argumento sunt verba et Nicolai Damasceni in vitae Caesaris cap. 5: ,*ἐνστάσης δέ τινος ἑορτῆς Λατίνης, ὁπότε καὶ τοὺς ὑπάτους εἰς Ἀλβανὸν τὸ ὄρος ἀναβαίνειν ἔδει πατρίου θυσίας ἕνεκα, τοὺς δ'ἱερεῖς διαδόχους αὐτῶν τῆς διακαιοδοσίας εἶναι, καθίζει ἐπὶ τὸ βῆμα Καῖσαρ* [2]) *ἐν μέσῃ ἀγορᾷ. προςῄεσαν δ'ἄπλετοι ἄνθρωποι δικαιοδοσίας χάριν*' [3]) et Suetonii in vitae Neronis cap. 7: ,auspicatus est iurisdictionem praefectus urbi sacro Latinarum celeberrimis patronis non tralaticias ut assolet et breves, sed maximas plurimasque postulationes certatim ingerentibus [4]), quamvis interdictum a Claudio esset'.

Publicas vero causas tradere praefecto licuisse civibus Mommsenus audacius collegit [5]) ex Taciti ann. l. IV c. 36: ,postulandis reis tam continuus annus [sc. 25 p. Chr. n.] fuit, ut feriarum Latinarum diebus praefectum urbis Drusum auspicandi gratia tribunal ingressum adierit Calpurnius Salvianus in Sex. Marium; quod a Caesare [sc. Tiberio] palam increpitum causa exilii Salviano fuit'; etenim quod publicam causam ad Drusum detulerat, Salvianum poenam dedisse apparet. Atque etiam scriptorum verba: ius dicere, ius reddere, auspi-

---

refert: Nam et tribunis, inquit, plebis senatus habendi ius erat, quamquam senatores non essent'. Cur Gracchanus illud negaverit, explicare studet Mommsenus in iur. publ. Rom. vol. I pag. 210 ann. 1.

[1]) cf. ib. pag. 209 et 673 ann. 7.

[2]) Octavianus anno 707 u. c.

[3]) Mirum non est, quod peregrinus ille homo pontifices Latinarum diebus ius dixisse falso narrat, quia Octavianus eo anno pontifex fuit.

[4]) Neronis nimirum modo a Claudio adoptati adulandi causa.

[5]) in iur. publ. Rom. vol. I p. 673.

cari iurisdictionem [1]) non nisi de privatis causis diiudicandis usurpantur [2]). Neque igitur Capitolini verba Antonini Philosophi vitae cap. 4: ‚praefectus feriarum Latinarum fuit. in quo honore praeclarissime se pro magistratibus agentem ostendit' ita interpretanda sunt, ut omnium magistratuum, qui iudicia exercerent, munera praestitisse praefectum putemus. Immo vero in iurisdictione potissimum praefectum versatum esse eo apparet, quod in titulo C. I. L. II, 3837 vel praefectus urbi iuri dicundo appellatur.

Adiungatur series praefectorum, quorum nomina monumentis servata sunt.

Atque primus, cuius nomen est traditum, Octavianus in Nicolai Damasceni vitae Caesaris c. 5 invenitur. Cuius praefectura, cum post togam virilem sumptam [3]), sed ante Caesaris in Italiam reditum auctumno anni 707 u. c. a Nicolao commemoretur, anno 707 u. c. tribuenda est.

Deinde Drusum, Germanici filium, anno 25 p. Chr. n. praefectum urbis fuisse et Tacitus in ann. l. IV c. 36 et duo tituli in Gallia reperti [4]) testantur [5]); annum quidem e solo Tacito discimus.

In titulo C. I. L. II, 3837 Paullus Aemilius Regillus, homo aliunde non notus, qui idem Tiberii quaestor fuit, praefectus urbi iuri dicundo nominatur. Quae appellatio, quamquam insolentior est, non nisi de praefecto urbis feriarum Latinarum causa relicto accipi potest, cum quaesturae praecedat Regilli prafectura.

---

[1]) Pompon l. 1; Tac. Ann. VI, 11; Suet. Ner. 7.

[2]) cf. Puchtae institutionum vol. I p. 428.

[3]) sub finem anni 706 u. c.

[4]) alterum eorum Burdigalae repertum invenies in ‚inscriptions de Bordeaux' pag. 91, alter Nemausi in basi Drusi statuae repertus extat in revue épigraph. 1881 p. 249 et C. J. L. XII, 3159.

[5]) haec praefectura nescio an etiam C. I. L. XI, 2965,6 memoretur; ad Drusum titulus quoque ib. 3607 spectat.

Dio porro L. Junii Silani et Cn. Pompei Magni, imperatoris Claudii generorum, praefecturam memoriae prodidit 60, 5, ubi sunt: ‚τοὺς γαμβροὺς τότε τε ἐν τοῖς εἴκοσιν ἀνδράσιν ἄρξαι καὶ μετὰ τοῦτο πολιαρχῆσαι ἐν ταῖς ἀνοχαῖς ἐκέλευσεν.' Quo ex loco elici non oportere eos una eodem anno, id est anno 41 aut 42 p. Chr. n., praefectos fuisse titulus C. I. Att. III, 1, 612 demonstrat, quo ante vigintiviratum Silanum praefectum fuisse traditur. Jam verbis illis et titulo collatis Dionem, quod ad Pompeium solum attinebat, id negligentia aut brevitatis causa ad Silanum quoque retulisse existimaverim. Quare Pompeium anno 41 p. Chr. n. vigintivirum, anno 42 praefectum, Silanum autem anno 41 praefectum, anno 42 triumvirum fuisse tituli opera statuendum est. Qua tum Pompeius aetate fuerit, etsi non traditur, tamen eum, cum Antoniae, filiae maioris natu, maritus esset[1]), Silano maiorem fuisse veri est simile. Silanum autem, cum insignia triumphalia acciperet a Claudio, Suetonius in Claudii vitae cap. 24 nondum pubem, Dio 60, 31 ἐν παισί fuisse dicunt. Quos eius aetatem minorem quam verum erat duxisse titulus Tiburtinus a Mommseno in eph. epigr. vol. I pag. 62 sq. et a Rossio in annal. d. inst. vol. 45 p. 219 tractatus[2]) ostendit, cum Silanum duodeviginti[3]) tum annos natum fuisse memoriae prodat. Quo efficitur Silanum, quia procul dubio in Britannico Claudii triumpho, id est anno 44, insignia accepit, non puerum, sed paullo post togam virilem sumptam fuisse praefectum.

De Neronis praefectura Suetonius in Neronis vitae cap. 7 haec tradit: ‚Apud eundem consulem pro Bononiensibus Latine, pro Rhodis atque Iliensibus Graece

---

[1]) Suet. Claud. c. 29.

[2]) C. I. L. XIV, 2500 repetitus est.

[3]) numeri signum XVIII non cum Mommseno in XVII mutari potest, cum illam lectionem in titulo optime conspici Rossius confirmet; cf. ann. ad hunc titulum.

verba fecit. Auspicatus est et iurisdictionem praefectus urbi sacro Latinarum .... Nec multo post duxit uxorem Octaviam.' Sed cum Tacito auctore (ann. 12, 58) Neronis et oratio et matrimonium anno 53 p. Chr. n. fuerint, praefectura quoque, quo primo munere Nero functus est, huic anno tribuenda est.

Titulus porro ad Prymnessum Phrygiae urbem repertus, sermone et Latino et Graeco conceptus [1]), L. Arruntii Scriboniani praefecti urbis mentionem facit. Quem, quod et Scribonianus et abnepos Pompei Magni nominatur, Koehlerus suo iure eundem esse censet atque Scribonianum Crassum, M. Licinii Crassi Frugi [2]) filium, quem Tacitus in histor. l. I c. 47 et l. IV c. 39 commemorat. Contra Mommsenum, quod cognomen Crassus in titulo deest, ita offendit, ut de Furio Scriboniano, M. Furii Arruntii Scriboniani [3]) filio [4]), cogitare malit [5]). Cui coniecturae obstat, quod Scribonianus Crassus ille a Tacito nusquam Crassus, sed aut Scribonianus [6]) aut Scribonianus Crassus [7]) nominatur, frater vero a Nerone occisus nudo cognomine Crasso nuncupatur [8]); ac profecto quod sententiae suae firmandae causa consulem anni 32 p. Chr. n. Pompeiae filium et Cn. Pompei Magni pronepotem fuisse conicit Mommsenus, haec suspicio omnino caret testimonio.

Jam vero Scriboniani Crassi patri cum praenomen esset Marco [9]), titulus autem Lucium praenomen ostendat, iure suspicari mihi videor illum adoptatum esse a clarissimo illo L. Arruntio [10]), consule anni 6 p. Chr.

[1]) in act. inst. arch. Athen. vol. 7 p. 127 (1882) a Koehlero editus. — [2]) consulis anni 27 p. Chr. n. — [3]) consulis anni 32 p. Chr. n. — [4]) de eo cf. Tac. ann. 12, 52.

[5]) in ephem. epigr. vol. V p. 51 sq., ubi titulum maiore diligentia depictum edidit.

[6]) hist. I, 47. — [7]) ib. IV, 39. — [8]) ib. I, 48.

[9]) sed etiam Furii Scriboniani patri praenomen erat Marco.

[10]) ea ratione Arruntius nomen, quod est in titulo, nescio an optime intelligatur.

n.; nam hic cum anno demum 37 p. Chr. n. moreretur [1]), facile fieri potuit, ut Scribonianum, quem — etenim Pisone fratre maior erat [2]) — ante annum 38 natum esse constat [3]), sive vivus sive testamento adoptaret. Infra autem Lucii Scribonii Libonis, Pompeiae mariti [4]), nepotem et Cn. Pompei Magni abnepotem nominari Scribonianum veri est simile, omisso Sex. Pompeio proavo, utpote Augusti olim inimico.

Scribonianum autem, cum ante annum 38 natus esset, potius ante annum 63 quam post eum annum praefectum fuisse putaverim.

Hadriani porro titulo Athenis reperto [5]) laudatur praefectura. Atque Spartianus in vitae Hadriani cap. 2 prima Hadriani munera hoc ordine enumerat: ,quare a Traiano pro filio habitus nec multo post decemvir litibus iudicandis datus atque inde tribunus secundae Adiutricis legionis creatus. post hoc in inferiorem Moesiam [6]) translatus extremis iam Domitiani temporibus'. Hadrianus igitur, postquam quindecim annos natus (a. 91 p. Chr. n.) militiam iniit [7]), decemvir, praefectus feriarum, sevir, tribunus legionis primum secundae, deinde quintae, tum vicesimae alterius factus est. Cum autem tribunus legionis quintae anno 96 fuerit et inter annum 91 et annum 96 quattuor muneribus functus sit, eius decemviratum (anno 92) statim anno 93 praefecturam secutam esse apparet.

Titulum Romanum, qui bullett. arch. comunale 1883 tabul. 19 extat, cum praefectus urbis in eo L. Considius Gallus aliunde ignotus appelletur, a primo post Chr. n. saeculo repetendum esse p. 42 ann. 4 ostendisse mihi videor.

---

[1]) Tac. ann. VI, 47. — [2]) Tac. hist. I, 48.
[3]) Mommsenus cur l. l. anno 33 p. Chr. n. cum natum esse contendat, equidem non assequor. — [4]) consulis anni 16 p. Chr. n.
[5]) C. I. L. III, 550; cf. annal. d. inst. vol. 34 (1862) p. 137—160.
[6]) quinta tunc ibi legio erat. — [7]) Spart. l. l.

Gorius in inscriptionum antiquae Etruriae vol. I p. 21 titulum Pisanum edidit, quo D. (?) Octavius [1]) Priscus praefectus vocatur. Cuius praefectura, cum seviratui equitum Romanorum praecedat, praefectura urbis interpretanda est, praesertim cum verbum VRB. vel VRBIS, quia ante SEVIR verbum lacuna est, excidisse videatur. Quo munere militari Octavius ante praefecturam functus sit, quamquam, cum titulus non integer servatus sit, diiudicari non potest, id tamen sub Traiano contra Parthos eum militasse apparet. Unde efficitur, ut circa annum 117 p. Chr. n. praefectus fuerit.

Altero Hadriani consulatu, id est anno 118 p. Chr. n., L. Aburnium Valentem praefectum urbi feriarum Latinarum fuisse titulus C. I. L. VI, 1, 1421 haud ambigue indicat.

In titulis C. I. L. X, 1, 3724 et XIV, 3609 Q. Sosium Priscum Senecionem, is qui anno 169 p. Chr. n. consul fuit, praefectura urbis feriarum Latinarum functum esse memoratur [2]). Atque cum tit. ib. VI, 1, 1490 anno 180 p. Chr. n. 63. vitae anno eum mortuum esse doceat, non ante annum 132 eo honore illum esse ornatum apparet [3]).

Animadvertendum porro est ad Capitolini vitae M. Antonini Philosophi caput 4, ubi sunt: ‚Virilem togam sumpsit quinto decimo aetatis anno, statimque ei Lucii Ceionii Commodi filia desponsata est nec multo post praefectus feriarum Latinarum fuit'. Neque igitur dubium est, quin M. Aurelius, quoniam ante diem sex-

---

[1]) de aliis Octaviis, qui cives Pisani fuerunt, cf. C. I. L. XI, 1481.

[2]) Cuius praefecturae etiam in tit. XIV, 2803 versu sexto nunc mutilato mentionem factam esse prona est suspicio.

[3]) quod confirmatur tit. XIV, 2803; eodem in tit. XIV, 3609 versu decimo tertio non ‚Augg.', sed ‚Aug.' scribendum fuisse manifestum fit.

tum Kal. Maias anni 121 natus erat [1]), anno 136 praefectus fuerit.

Alter titulus Pisanus, a Gorio [2]) et a Muratorio [3]) editus, qui nuper in C. I. L. vol. XI n. 1432 multo diligentius descriptus publici iuris factus est, L. Venuleium Apronianum Octavium, quem anno 168 p. Chr. n. iterum consulem fuisse constat, praefectum urbi feriarum Latinarum indicat. Quin etiam in tit. ib. 1433, qui ab eo [4]) positus est, huius honoris mentio fiat, quamquam versus primi exciderunt, eo minus dubitari potest, quod ceteri honores eodem atque in illo titulo ordine afferuntur. Quam praefecturam annis fere 135—145 tribuendam esse censeo [5]).

Marcus porro Metilius Regulus titulo [6]) in eius sepulcro [7]) reperto praefectus urbis feriarum Latinarum nominatur. Qui cum anno 157 consul fuerit [8]), quaestura autem, si honores inter eam et consulatum respicimus, procul dubio non post annum 151 functus sit, eius praefectura, quia ante triumviratum administrata est, tempori post annum 149 tribui non potest; neque tamen ante annum 144 eam, cui munera militaria praecederent, fuisse putaverim.

C. Modestus Paulinus porro quamquam quo anno urbi praefuerit, titulus C. I. L. IX, 3667 non prodit, tamen verba: ,curatori alimentorum' non priorem quam Nervae aetatem indicant, aedilitatis autem mentio ultra

---

[1]) Capit. c. 1.

[2]) in inscr. antiquae Etruriae vol. I p. 18.

[3]) in novi thesauri veterum inscriptionum vol. II p. 762, 7.

[4]) ad eundem tit. ib. 1433 a et 1735 et XIV, 2793 respiciunt.

[5]) ultimus tituli versus hunc hominem Pisae natum fuisse ostendit.

[6]) C. I. L. XIV, 2501.

[7]) quod est in ea viae Latinae parte, quae inter Romam est et Tusculum.

[8]) cf. C. I. L. XIV, 2410 et 2901; ad eundem fortasse revocandus est titulus ib. 2810.

Alexandri Severi, utpote qui aedilitatem et tribunatum ex honorum ordine sustulisse videatur [1]), tempora excedere vetat; verba: ,praefecto urbis feriarum Latinarum' ad priorem secundi saeculi partem spectare crediderim [2]).

Marcum porro Antonium Antium Lupum a Commodo occisum praefectum feriarum Latinarum fuisse testis est titulus C. I. L. VI, 1, 1343; et quidem Antius, cum extrema vitae aetate, id est anno circiter 190 [3]), praetorem eum fuisse veri sit simillimum, praefectus inter annum 175 et annum 180 fuit.

L. Fulvius Gavius Numisius Petronius Aemilianus praefectus feriarum Latinarum duobus titulis commemoratur, Romano [4]) et Lugdunensi [5]). Hos autem titulos Bormannus et Henzenus, quod eidem Aemiliano vindicaverunt titulum Campanum L. Fulvio Gavio Aemiliano Lugduni urbis patrono, qui fuit Alexandri Severi temporibus, dedicatum [6]), ad filium consulis anni 206, patrem consulis ann. 244 et 249 revocaverunt [7]). Quod si recte sensissent, illum pontificem [8]), salium Collinum [9]), sodalem Flavialem [10]), fratrem Arvalem [11]) fu-

---

[1]) cf. Momms. iur. publ. Rom. v. I p. 558 sqq.

[2]) cf. pag. 42 ann. 7.

[3]) cf. Lamprid. vit. Commodi c. 7. — [4]) C. I. L. VI, 1, 1422.

[5]) Huius tituli duo fragmenta ed. Boissieu in inscript. de Lyon p. 532 et p. 285, 39; quae eiusdem esse tituli primus perspexit Mommsenus in annal. d. inst. arch. vol. 25 p. 70. Recte suppletus est titulus secundum titulum Romanum in revue épigr. du midi de la France a. 1878 p. 31. Ad eundem Aemilianum, quod Cervidiae Vestinae uxoris in altero nomen ostendit, referendi sunt duo alii tituli Lugdunenses, quos invenies apud Boissieu in inscr. de Lyon p. 466, 3 et p. 485, 10.

[6]) C. I. L. X, 1, 3856. — [7]) cf. ann. ad C. I. L. VI, 1, 1422.

[8]) C. I. L. VI, 1, 1422 et ib. X, 1, 3856.

[9]) C. I. L. VI, 1, 1422 et rev. épigr. 1878 pag. 31.

[10]) rev. ép. l. l.

[11]) ita Borghesius secundum versum tituli C. I. L. X, 1, 3856 suppleri vult.

turum fuisse demonstravit Borghesius [1]), quem sacerdotiorum cumulum non nisi apud imperatorum cognatos usitatum fuisse dixit. Memoria deinde Attiae Cervidiae Vestinae, Quinti filiae [2]), quae propter rarissimum illud nomen gentile haud dubie Q. Cervidii Scaevolae iurisconsulti filia esset, aliud tempus indicari idem censuit. Etenim cum Cervidius imperatoris M. Aurelii familiaris fuisset, ut filiam, ita etiam eius maritum eadem fere atque imperatorem Septimium Severum aetate fuisse apparere; ad consulem igitur anni 206 titulos Romanum et Lugdunenses, ad eius filium titulum Campanum pertinere. Quibus Borghesii argumentis suo iure assensus est Mommsenus ad C. I. L. X, 1, 3856. Jam vero Aemilianus, quoniam quaestor Augustorum nominatur, fieri non potest, ut ante annum 198, quippe quo Caracalla a Septimio Severo patre socius imperii assumeretur, quaestor fuerit; neque igitur ante annum 188 seu potius, quoniam seviratum praecessisse praefecturae titulus Lugdunensis (rev. ép. 1878 p. 31) [3]) docet, ante annum 189 praefectus feriarum Latinarum fuit.

Titulus C. I. L. VI, 1, 1332 T. Aelium Naevium Antonium Severum administrata praefectura feriarum Latinarum ad quaesturam pervenisse testatur. In quo quia sodalis Hadrianalis vocatur, post Hadriani mortem eum vixisse apparet [4]). Est autem alter titulus Romanus [5]), in quo T. Aelius Severus clarissimus consularis

---

[1]) Borgh. opp. vol. 8 p. 602 sqq. — [2]) Boiss. p. 485, 10.

[3]) in hoc titulo, in quo honores ordine descendente enumerantur, triumviratus ante praefecturam, contra in titulo Romano, in quo eodem ordine honores enumerantur, post praefecturam legitur; sed titulus Lugdunensis plus mihi valere videtur Romano, quod publice, hic privatim, editus est et verba: CV(ratori r. p. coloniae) et: (sodali f)LAVIALI, quae huic desunt, addit.

[4]) eidem titulum C. I. L. VIII, 1, 3020 attribuendum esse putaverim.

[5]) bull. comunale arch. 1881 vol. 9 p. 15.

appellatur. Utroque autem titulo eundem laudari Lancianus iure censuisse videtur, probari tamen mihi omnino non potest imperatoris Decii temporibus, ut ille coniecit [1]), Aelium Severum vixisse; neque enim titulus, qui ad Decium spectat et eodem loco repertus est [2]), ad Aelium quicquam attinet; accedit, quod hic titulus Graeco, ille Latino sermone est conceptus. Neque igitur, qua Aelius Severus aetate fuerit, certo cognosci potest.

Saeculo tertio vel etiam quarto M. Aurelius Victor praefectus feriarum Latinarum fuit, cum quidem imperante Heliogabalo Romani deum Solem, cuius sacerdotem illum fuisse titulus C. I. L. VI, 1, 1358 docet, colere coepissent; quo cum tempore litterarum formam consentire Rossius in eph. ep. vol. II p. 101 dixit [3]).

Adiungantur tres tituli, in quibus, cum sint admodum mutilati, nomina praefectorum evanuerunt, praefecturae tamen memoria remansit.

Et tituli quidem C. I. L. VI, 1, 1582 et 3851, cum in altero praefectus V . . ., in altero praefectus urbis feriarum Latinarum memoretur, ad saeculum primum vel priorem saeculi sequentis partem spectare videntur; in titulo autem ib. 1562 non solum praefecti nomen desideratur, sed etiam verba: ‚praefecto feriarum Latinarum', quae Mommsenus in versu octavo supplevit, dubiae sunt memoriae. Sed cum ii, qui provincias gubernabant, non ante alteram tertii saeculi partem appellati sint praesides [4]), iuridici autem, qui a M. Aurelio sunt instituti, a Diocletiano sublati sint [5]), titulum hunc

---

[1]) l. l. p. 16.

[2]) l. l. p. 10.

[3]) de eiusdem nominis hominibus, qui illis temporibus fuerunt, conferas, si velis, C. I. L. III, 893, 909, 3105, 4415; VII, 578; XIV, 2281.

[4]) cf. Momms. iur. publ. Rom. vol. II p. 240 ann. 2.

[5]) l. l. p. 1087.

inter annos fere 250 et 284 p. Chr. n. exaratum esse crediderim.

Jam postquam de singulis praefectis disputavimus, hunc eorum componere possumus indicem:

1) Octavianus praefectus anno 707 u. c.

2) Drusus, Germanici filius, anno 25 p. Chr. n.

3) Paullus Aemilius Regillus Augusti vel Tiberii temporibus.

4) L. Junius Silanus anno 41 p. Chr. n.

5) Cn. Pompeius Magnus anno 42 p. Chr. n.

6) Nero anno 53.

7) L. Arruntius Scribonianus anno circiter 63.

8) Hadrianus anno 92.

9) L. Considius Gallus primo p. Chr. n. saeculo.

10) Octavius Priscus circiter annum 117.

11) L. Aburnius Valens anno 118.

12) Q. Sosius Priscus post annum 132.

13) M. Aurelius anno 136.

14) L. Venuleius Apronianus Octavius inter annos fere 135 et 145.

15) M. Metilius Regulus inter annos fere 144 et 149.

16) C. Modestus Paulinus, post Domitiani aetatem, priore saeculi secundi parte.

17) M. Antius Lupus inter annos 175 et 180.

18) L. Fulvius Aemilianus anno 189 vel sequentibus.


19) T. Aelius Severus incerta aetate, sed post Hadriani mortem.

20) M. Aurelius Victor incerta aetate, post Heliogabali tempora.

Quod altera saeculi tertii parte et saeculo quarto paene nulli iam occurrunt praefecti feriarum Latinarum, non est mirum, quoniam his temporibus more, quo prioribus saeculis usi erant, ut omnia munia, vel tenuissima, in titulis enumerarent, homines destiterant [1]).

---

[1]) cf. Momms. iur. publ. Rom. vol. II pag. 594 ann. 1.



Pars quarta.

De singulis annis, quibus feriae Latinae sunt habitae.

Quamquam admodum raro ferias intercidisse constat [1]), tamen annos, quibus eas fuisse certis testimoniis traditum aut indiciis et argumentis probabile est [2]), enumerare atque, si opus est, accuratius percognoscere operae erit pretium. Eorum hic statui potest ordo:

anni u. c.	anni a Chr. n.	fer. Latinae legitimae vel sollemnes.	feriae extra ordinem habitae.	fontes.
303	451	L. f. . . . Jun.	—	
305	449	L. f. III Non. Febr.	IIII Eid. Jan. Lat. reparatae anni 304. K. Mai. [3])	C. I. L. XIV, 2236 [4]).
306	448	L. f.	—	
356	398	. . Eid. . . .	—	
357	397	L. f.	inst. anno 358 . . . pr. Non . . .	C. I. L. XIV, 2237, Liv. V, 17 et 19, Plut. Cam. c. 4 [5]).
358	396	pr. K. N(ov).	—	
359	395	. . II Non. S(ext. vel ept).	—	
360	394	K	—	

1) cf. pag. 19 sq.

2) his quidem adscriptum invenies asteriscum.

ann. 3—5 vid. p. 58.

[3]) de his feriis cf. pag. 40.

[4]) de altera huius tituli columna, qua certi anni non indicantur, conferas quae disputaverunt Rossius in eph. ep. vol. II p. 97 et Mommsenus in qu. Rom. vol. II p. 97.

[5]) hunc titulum Mommsenus ib. p. 109 sqq. sagaciter tractavit; neque vero quae Livius V, 17 et 19 de anni 357 u. c. feriis memoriae prodidit, falsa vir doctissimus debebat iudicare. Etenim cum quo die consules anni 354 et sequentium annorum, postquam tribuni anni 353 maturius quam fieri solebat Kalendis Octobribus magistratum inierunt (Liv. V, 9 et 11), munus capessiverint nesciatur neque, quantum temporis tribuni militum anni 357, antequam magistratu se abdicaverunt, rem publicam gubernarint, traditum sit, tribuni anni 358 et sequentium annorum quando ad munus accessissent, prorsus ignoraretur, nisi ex ipsius tituli versibus quinto et septimo non Kalendis Octobribus, ut suspicatur Mommsenus (quaest. Rom. p. 111), sed mense Quinctili potius vel Sextili magistratum eos inisse cognosceretur. Nullo enim modo, quia tribunos anni 358 non ita exiguum tempus munus gessisse ex Livii libri V cap. 18 elucet, fieri potuit, ut, si illi Kal. Octobribus munus inissent, a Camillo dictatore iam pridie Kal. Novembres Latinae agerentur, atque anno 359 u. c. iam ineunte Septembri vel etiam Sextili mense Latinas fuisse titulus luculentissime ostendit. Quodsi Matzat in chronol. Rom. p. 140 sqq. quae tituli versibus 2 et 3 tanguntur Latinas eodem anno, 358, factas esse atque quae versibus 4 sq. afferuntur, et illas legitimas, has deletis Veiis gratiarum Jovi agendarum causa actas esse contendit, equidem, pridie Kal. Nov. quae habitae sunt, sollemnes eius anni, priores, cum anni praeteriti Latinas non rite edictas Livius tradat, earum instaurationem fuisse dixerim sequenti demum anno (358) factam. Hanc enim et Livius (5, 19, 1 et 2) et Plutarchus (Cam. cap. IV, 6 — V, 26) ante ipsam Camilli dictaturam commemorant neque, quamvis copiose et accurate de gratiis Romanorum post deletos Veios publice habitis agant (Liv. c. 23, Plut. Cam. c. V) de sacris in monte Albano iterum Jovi datis faciunt verbum. At Matzati sententiam si quis sequeretur, binas ab eisdem tribunis Latinas habitas frustra in fastis requireret. Quae in capite tituli apparent Idus, anno 356 tribuerim; anni enim 357 Latinas, cum non rite essent edictae, in fastos relatas non esse quamquam certo statui nequit, tamen, quia Romani quaecunque vitiosa erant oblivione obrui volebant, haud iniuria suspicer.

anni u. c.	anni a. Chr.	feriae legitimae.	feriae extra ordinem habitae.	fontes.
497	257	L. f.	—	C. I. L. I p. 434.
536	218	. . . . . . Mai.	—	C. I. L. XIV, 2238 [1]).
537	217	. . . . Mai.	—	
538	216	. . . . Mai.	—	
539	215	. . . Jun.	—	
540	214	. . . Non. Mai.	—	
541	213	. . . K. Mai.	—	
542	212	. . . . Mai.	—	
551	203	L. f.	—	C. I. L. XIV, 2239 [2])
552	202	L. f.	—	
553	201	L. f.	—	
554	200	L. f.	—	
555	199	L. f.	L. inst.	Liv. 32, 1.
564	190	L. f.	L. inst.	Liv. 37, 3.
575	179	L. f.	L. inst.	Liv. 40, 45.
578	176	L. f. III nonas Mai.	inst. III Id. Sext.	Liv. 41, 16, 1; 41, 16, 6.
583	171	L. f. Kal. Juniis	—	Liv. 42, 35.
586	168	pridie K. April.[3])	prid. Id. Nov.[4])	Liv. 44, 22; 45, 3.
625	129	L. f.	—	Cic. rep. I, 9.

[1]) Consulum nomina ex fastis Capitolinis (C. I. L. I p. 435) suppleta sunt. Quin Flaminius sonsul Maio mense anni 536 u. c. Latinas celebraverit, dubium non est, cum proelium ad lacum Trasimenum ante diem nonum Kal. Julias commissum sit (Ovid. fast. VI, 765—768); cf. pag. 20 ann. 2.

[2]) In huius tituli versu sexto scriptum videmus AELIO, cum in fastis Capitolinis (C. I. L. I p. 436) semper inveniamus nomen AILIVS. Litterae *(i)* VN, quae ante versuum quarti et quinti intervallum extant, hunc titulum alterius fastorum columnae fragmentum esse ostendunt. Atque quoniam Latinas Maio vel Junio mense actas indicant, de Latinis anni 532 aut 533 potius cogitaverim quam annorum 478—531.

[3]) cf. pag. 22 ann. 2.

[4]) cf. pag. 22 ann. 5 et p. 39.

anni u. c.	anni a. Chr.	feriae legitimae.	feriae extra ord. habitae.	fontes.
663*	91*	L. f. (?)	—	Florus II, 6, 8 [1]).
676*	78*	L. f. (?)	—	Sallust Hist. c. 3, fr. 48 [2]).
691	63	L. f.	—	Cic. de div. I, 11.
698	56	L. f.	inst.	Cic. Q. fr. 2, 4, §2; ib. § 4 et Dio 39, 30.
704	50	L. f.	—	Cic. fam. VIII, 6, 3.
705 [3])	49	L. f.	—	Dio 41, 14 et Lucan. I, 550.
„	„		inst.	Caes. b. c. III, 2 (cf. C. I. L. I p. 440) et Lucan. V, 400.
707	47	L. f.	—	Nicol. Dam. vit. Caes. c. 5.
709	45	L. f.	—	Dio 43, 48.
710	44	VII K. Febr.	—	C. I. L. I p. 461, Suet. Caes. 79, Dio 44, 4.
712	42	L. f.	—	Dio 47, 40, Obsq. c. 70.
718	36	L. f.	—	Dio 49, 16.
720	34	L. f.	—	Dio 49, 42.
727	27 [4])	. . . Non. Mai.	—	C. I. L. XIV, 2240 [5]).
728	26	. . . K. Mai.	—	C. I. L. XIV, 2240 [5]).
729	25	. . . Non. Jun.	—	C. I. L. XIV, 2240 [5]).
730	24	. . . Eid. Jun.	—	C. I. L. XIV, 2240 [5]).
731	23	. . . . Jul.	. . . Kal. Nov. [6])	C. I. L. XIV, 2240 [5]); Dio 53, 32; 53, 33.
733	21	L. f.	—	Dio 54, 6.
745	9	L. f.	—	Dio 55, 2.

[1]) utrum anno 663 u. c. fuerint feriae necne, ex hoc Flori loco: ‚Primum fuit belli in monte Albano consilium, ut festo die Latinarum Julius Caesar et Marcius Philippus consules inter sacra et aras immolarentur. postquam id nefas proditione discussum est . . .', praesertim si rei publicae statum, ut tunc erat turbulentissimus, reputamus, eruere non possumus.

[2]) num perpetratae sint feriae, ex Sallustii loco non licet colligi.

[3]) duas tum fuisse feriarum sollemnitates, quamquam a nullo scriptore diserte memoriae proditur, tamen accuratius perscrutantibus nobis, quae de huius anni feriis tradantur, dilucide apparet. Atque instauratas esse tum ferias eo magis veri est simile, quod Lucanus I, 550 prodigii cuiusdam auctor est, quod nescio an causam earum instaurandarum suppeditaverit.

[4]) cf. pag. 27 ann. 4.

ann. 5 et 6 vid. p. 61.

anni post Chr. n.	feriae legitimae.	fontes.
25	L. f.	Tacit. ann. IV, 36.
29*	L. f.	C. I. L. XIV, 2227 [1]).
40	IIII Kal. Jun.	C. I. L. XIV, 2241 [2]).
41	VII . . . Jul.	Dio 60, 5 et C. I. Att. III, 1, 612.
42	. . . . . April.	
43	L. f.	C. I. L. XIV, 2241.
53	L. f.	Suet. Ner. c. 7.
70	VII Kal. Jul.	C. I. L. VI, 1, 2016 et XIV 2242 [3]), prior columna [4]).
71	VII Kal. Jul.	
72	L. f. [5])	
73	L. f.	
74	L. f.	
92	L. f.	C. I. L. III, 550.
106	Pr. Jd. Jul.	C. I. L. VI, 1, 2016 et XIV, 2242, columna altera [6]).
107	Pr. Jd. Aug.	
108	Kal. Jul.	
109	III	
118	L. f.	C. I. L. VI, 1, 1421.
136	L. f.	Capit. Anton. Philosoph. c. 4.
394	L. f.	Herm. vol. 4 p. 355 sqq.; cf. infra.

[5]) de hoc titulo cf. Momms. q. R. II p. 100.

[6]) cf. pag. 40. Versus sequentes hoc modo:

,(L. Sestio Cn. Pis)one collega (Caesaris) cos'

supplendos et ad Latinas anno 781 n. c. alterum habitas revocandos esse crediderim.

[1]) Cum Latinas celebraret in monte, L. Rubellium Geminum consulem anni 29 p. Chr. n. Jovi Latiari votum fecisse veri est simillimum.

[2]) cf. Momms. qu. Rom. II p. 98 sq. et C. I. L. VI, 1, 2015.

[3]) cf. Ross. eph. ep. II p. 98 et 100.

[4]) in versu extremo num Sex. Julii Frontini consulis nomen suppleri possit, dubium esse docuerunt Lebas-Waddington III, 2 (explication des inscriptions grecques et latines), p. 708 sq.; iidem in versu duodecimo Petilii Cerialis nomen excidisse coniecerunt.

[5]) huius anni Latinas eodem fere tempore atque antecedentium annorum habitas esse eo apparet, quod consules, qui hic memo-

ann. 6 vid. p. 62.

Etiam quarto post Christum natum saeculo, quamquam nulla iam praefectorum nomina occurrunt, Latinas celebratas esse certis atque non spernendis testimoniis edocemur cum Arnobii [1]), Lactantii [2]), Firmici Materni [3]), Prudentii [4]) Macrobii [5]), qui omnes hoc quidem fuerunt saeculo, tum hominis cuiusdam Christianae doctrinae studiosi, qui exeunte hoc saeculo carmen [6]) composuit, cuius versus 121 sq. sunt:

,desine post hydropem talem deflere maritum,
de Jove qui Latio voluit sperare salutem'.

---

rantur, ante diem quartum kal. Junias fasces gessisse ex actis fratrum Arvalium (C. I. L. I p. 500) videmus.

[6]) Quamquam tituli XIV, 2243 et 2244 (VI. 1, 2018 et 2017), cum consules suffectos afferant, certis annis tribui non possunt, tamen L. Maecii Postumi consulis nomen, quod in tituli 2243 versu primo scriptum est, temporis indicium praebere videtur; eum enim L. Maecium Postumum esse puto, quem anno 126 p. Chr. n. consulem fuisse constat et quem tituli C. I. L. IX, 1123 et 1124 referunt; sagaciterque Asbachius in analect. hist. et epigr. Lat. p. 30—32 coniecit Saturninum v. 7 Pompeium Saturninum, . . . amilli . . . v. 8 Mamillianum esse, ad quorum utrumque Plinius epistulas dedit, Proculum denique v. 10 C. Julium Proculum esse, qui titulo Antiati ab actis Imperatoris Traiani Augusti et consul nominatur. Quare hunc titulum Latinas ann. 126 p. Chr. n. sequentiumque annorum memoriae prodere verisimile est. Minime autem Marinii (Atti dei fratelli Arvali vol. I p. 162) et Dessavii (ann. ad hunc tit.) sententiam probo consules Vicerium Alarianum et L. Marcium Postumum, qui in tit. C. I. L. II, 2344 memorantur, eosdem esse opinantium atque Vicirium Martialem et Maecium Postumum.

Titulum autem XIV, 2244, cum, in eodem lapide incisus atque tit. ib. 2242 (cf. Rossium in eph. ep. II p. 100), prius quam tit. 2243 exaratus esse videatur cumque prima tit. 2243 columna perierit. Latinas anni circiter 114 et sequentium continuisse probabile est.

Titulum quoque XIV, 2250 fastorum fragmentum fuisse et COS legendum esse crediderim.

[1]) 2, 68. — [2]) 1, 21, 3. — [3]) c. 26, 2.

[4]) in Symm. 1, 396. — [5]) I, 16.

[6]) de toto carmine conferas, si velis, quae Mommsenus in Hermae vol. 4 pag. 350 sqq. disputavit.


Quibus quoniam Virium Nicomachum Flavianum significari e carminis contextu apparet, qui Eugenium occidentis imperatorem, ut gentilium religionem dilabentem servaret, ad bellum Theodosio Magno inferendum permoverat et anno 394 a Theodosio ex oriente profecto victus atque ipse in proelio occisus erat, Rossium veram sententiam proposuisse puto, qui Nicomachum consulem veterum more, antequam belli gerendi causa proficisceretur, Latinas, quibus nimirum a Jove Latiari auxilium peteret, eo anno celebrasse iudicavit [1].

Verum etiam omnino extremas eas fuisse ferias facile quis sibi persuaserit. Qui enim fieri potuit, ut Theodosius, cum qua posset ratione paganorum superstitionem exstinguere studeret clausis deorum templis sacerdotibusque expulsis, Jovis Latiaris cultui sane frequenti atque idcirco Christianis inviso capta Roma parceret? Atque firmari hanc perquam verisimilem suspicionem censeo verbis et scholiastae Bobiensis [2]) ad Cic. Planc. 9, 23: ‚feriarum Latinarum sacrificio solebat hoc observari . . .' et Servii [3]) ad Verg. Aen. I, 211: ‚ut in Albano Latinis visceratio dabatur, id est caro', eiusdemque ad Verg. Aen. XII, 135: ‚honos' vero res divina, quae ibi a Romanis fieri consueverat', quibus ipsorum aetate non iam fuisse ferias Latinas hi scriptores testantur.

---

[1]) in eph. ep. vol. II p. 101.
[2]) quem commentarium anno fere 400 conscriptum esse constat.
[3]) is eadem fuit aetate.





Vita.

Christianus Bernardus Wernerus natus sum a. d. VIII Id. Januar. anni h. s. LXV Porceti in oppido prope Aquisgranum sito patre Henrico matre Marianna e gente Bruders, quos ambo iam pridem demortuos summa cum veneratione lugeo. Fidem profiteor catholicam. Primis litterarum rudimentis Aquisgrani imbutus severioris mox doctrinae tirocinia posui in progymnasio Wissensi, cui tum Gerardus Bruders presbyter, avunculus dilectissimus, praefectus erat, cuius viri praestantissimi eximia de me erudiendo merita grata semper memoria tenebo. Duobus annis post gymnasium adii Aquisgranense, quod per septem annos frequentavi.

Maturitatis testimonio instructus, cum philologiae me dedere constituissem, academiam adii Monasteriensem, ubi per annum versatus sum; senos deinde menses eisdem studiis Tubingae et Berolini insumere, tandem hanc almam accedere matrem Lipsiensem, ubi quartum hunc annum explevi.

Docuerunt me viri illustrissimi Hagemann Langen Lindner Niehues Nordhoff Stahl Monasterienses, de Gutschmid Pfleiderer Rohde de Schwabe Tubingenses, Diels Droysen Kirchhoff de Treitschke Vahlen Berolinenses, Arndt Brugmann Heinze Lange Lipsius Maurenbrecher Meyer Ribbeck Richter de Richthofen Springer Lipsienses.

Dum huius academiae civis ago, per quinque semestria seminarii historici Arndtio Gardhauseno Maurenbrechero praesidibus sodali esse mihi licuit; praeterea societatibus philologis interfui Langianae et Lipsianae per singula semestria, Ribbeckianae per tria. Seminarium paedagogicum moderante Richtero etiamnunc frequento.

Quibus omnibus viris doctissimis, imprimis autem Gardthauseno Maurenbrechero Ribbeckio optime de me meritis, gratias ago quam maximas gratumque semper animum servabo.



Errata.

pag. 7 ann. 4 pro pag. 26 leg. pag. 30.
pag. 11 ann. 1 pro pag. 28 leg. pag. 32.



